B

Sächsische Landesbibliothek –
Staats- und Universitätsbibliothek Dresden
http://digital.slub-dresden.de/id368268268/1
gefördert von der
Deutschen Forschungsgemeinschaft DFG



Sächsische Landesbibliothek –
Staats- und Universitätsbibliothek Dresden
http://digital.slub-dresden.de/id368268268/2
gefördert von der
Deutschen Forschungsgemeinschaft DFG

Sächsische Landesbibliothek – Staats- und Universitätsbibliothek Dresden
http://digital.slub-dresden.de/id368268268/3
gefördert von der Deutschen Forschungsgemeinschaft DFG

Rhetor: et Orator: 663.

Sächsische Landesbibliothek – Staats- und Universitätsbibliothek Dresden
http://digital.slub-dresden.de/id368268268/4
gefördert von der Deutschen Forschungsgemeinschaft DFG

Sächsische Landesbibliothek –
Staats- und Universitätsbibliothek Dresden
http://digital.slub-dresden.de/id368268268/5
gefördert von der
Deutschen Forschungsgemeinschaft DFG

ORATIONES

HABITÆ

A

IOANNE ERHARDO KAPPIO

PROFESSORE ELOQUENTIÆ IN ACADEMIA LIPSIENSI

ET

ELOQUENTIÆ ROMANÆ

ADIECIT

IOANNES ERHARDVS KAPPIVS

PROFESSOR ELOQUENTIÆ IN ACADEMIA LIPSIENSI

ET

PUBL. ZYTHAGOR.

LIPSIÆ CIↃ IↃCC XXVIII.

SUMTIBVS SAMVELIS BENJAM. WALTHERI.

CVM PRIVILEGIO POTENTISS. POLON.

REGIS ET ELECTORIS SAXON.

PAVLINI A S. IOSEPHO

LVCENSIS

CLER. REG. SCHOLARVM PIARVM

ET

IN ARCHIGYMNASIO ROMANAE SAPIENTIAE

PVBLICI ELOQVENTIAE PROFESSORIS

ORATIONES

HABITAE

IN EODEM ARCHIGYMNASIO

I. De neglectu literarum humaniorum et earum corruptela.
II. De patrocinio bonarum artium.
III. De laudibus Leonis X. in anniuersariis eius parentalibus.
IV. De infelicitate illiteratorum.
V. De forensi latinitate expurganda.
VI. De vsu et necessitate Eloquentiae in foro et hodiernis iudiciis.
VII. In optimis studiis lente festinandum.
VIII. De expedita discendi ratione.
IX. De laudibus Leonis X. in anniuersariis eius parentalibus.
X. De ingeniorum delectu ad studia literarum habendo.
XI. De laudibus Leonis X. in anniuersariis eius parentalibus.

RECENSVIT

PRAEFATVS EST AC PROGRAMMA

DE

CAVSSIS CORRVPTAE HOC AEVO ELOQVENTIAE ROMANAE

ADIECIT

IOANNES ERHARDVS KAPPIVS

PROFESSOR ELOQVENTIAE IN ACADEMIA LIPSIENSI

PVBL. EXTRAORD.

LIPSIAE CIↃ IↃCC XXVIII

SVMTIBVS SAMVELIS BENIAM. WALTHERI

CVM PRIVILEGIO POTENTISS. POLON.

REGIS ET ELECTORIS SAXON.

Sächsische Landesbibliothek – Staats- und Universitätsbibliothek Dresden
http://digital.slub-dresden.de/id368268268/7
gefördert von der Deutschen Forschungsgemeinschaft DFG

PRAEPOSITUS
EXCELLENTISSIMO
DOMINO
DOCTORI
BENEDICTO
DE-BRUNAV
DYNASTAE CELSITUDINUM
DUCALIUM BORUSSICI ET GROSTAVSCHWITZ
PRINCIPUM
POTENTISSIMI POLONIAE
REGIS ET ELECTORIS SAXONIAE
AVLAE ECCLESIASTICARUM SACRARUM
CVRIAE REGII CLAVIGERO AC
AVLAE INSTITUTAE QUE AC PROVOCA-
TORIUM CONSILII IN NEGOTIIS
CURIA PROVINCIALIS LIPSIENSIS
ASSESSORI
MVSARVM SAXONICARVM
STATORI

PERILLVSTRI
EXCELLENTISSIMOQVE

DOMINO

HENRICO

DE BVNAV

DYNASTAE CLIENTELARVM
DALEN, DOMSEN, GOLLNITZ
ET GROSTAVSCHWITZ

POTENTISSIMI POLONIA-
RVM REGIS ET PRINCIPIS SAXO-
NIAE ELECTORIS SVMMI SENA-
TVS ECCLESIASTICI PRAESIDI SACRI
CVBICVLI REGII CLAVIGERO AB AV-
LAE IVSTITIAEQVE AC PROVOCA-
TIONVM CONSILIIS IN SVPREMA
CVRIA PROVINCIALI LIPSIENSI
ASSESSORI

MVSARVM SAXONICARVM

STATORI

VITAM AC FELICITATEM

PERPETVAM

Sächsische Landesbibliothek –
Staats- und Universitätsbibliothek Dresden
http://digital.slub-dresden.de/id368268268/9
gefördert von der
Deutschen Forschungsgemeinschaft DFG

PERILLVSTRIS EXCELLENTISSIME-QVE DOMINE,

VIx peragraue-rat, superiore anno, Saxoniae regiones, fama, EXCELLEN-TISSIME BVNAVI, TE,

ILLVSTRISSIMO LEIP-
ZIGERO, Heroi in toga
Maximo, ab AVGVSTIS-
SIMO REGE NO-
STRO succeſſorem in
Summo Eccleſiaſtico Sena-
tu conſtitutum eſſe, quum
omnes, quotquot rei ſacrae
et literariae apud nos bene
cupiunt, palam laetitia ex-
ſultarent, ſummaque ani-
morum conſenſione iudica-
rent, nos nec meliorem
LEIPZIGERO, qui TIBI
in ſplendidiſſima hac digni-
tate praecederet, nec TE
digniorem in ea ſucceſſorem,
vel votis expetere potuiſ-
ſe.

se. Quod si enim necessa-
rias illas virtutes, quibus
rei sacrae et literariae Prae-
ses instructus esse debet,
circumspicio, et tum sin-
gularem, quae in eo re-
quiritur, industriam purio-
ra sacra et bonarum litera-
rum studia sarta tecta con-
seruandi perpendo, tum
etiam miram illam facilita-
tem et gratiam tot docto-
res Ecclesiarum, Academia-
rum et Scholarum, horum-
que munerum candidatos
aliosque, admittendi ac fo-
uendi contemplor: adeo
vterque VESTRVM his or-

namentis omnibus abundatis, vt illa omnes et singuli, qui nostra bona, quibus gaudemus, norunt, quique VESTRO, quo nihil est gloriosius, vmquam fruiti sunt alloquio, demissa veneratione in VOBIS admirentur, VOSque Saxoniae bono amplificando natos esse, arbitrentur. In primis vero Academia Lipsiensis, laeto nuntio accepto, PERILLVSTREM BVNAVIVM SVVM ad Musarum Saxonicarum Praesidium euectum esse, propriam sibi hanc laetitiam, suo quodam iure, vin-

vindicauit, et, quem olim, di-
ſciplinae ſuae alumnum, et
antiquitate generis, et gloria
maiorum, et ſua eruditione,
vnum omnium maxime flo-
rentem, in oculis tulit, il-
lum, nunc ſuae ſocietati lite-
rariae Praeſidem conſtitu-
tum, ſubmiſſo cultu venera-
ta, de tanto ornamento, di-
uinitus ſibi olim indulto, et
praeſidio perpetuo certiſſi-
me futuro, iure meritoque
ſibi gratulatur. Neque enim
obliuioni dedit fauſtiſſimum
illum diem, erat autem dies
XXIV menſis Iulii A. O. R.
CIↃ IↃCC XVI, candidiſſimo

calculo nobis notandus, quo TV, PERILLVSTRIS DOMINE, dissertationem iuris publici, de iure circa rem monetariam in Germania, TVO Marte abs TE elaboratam, immensaque eruditione refertam, ex superiore Iureconsultorum cathedra huius Academiae, publico eruditorum examini subiecisti, et ab aduersariorum argumentis defendisti. Per Deum immortalem! qua dexteritate, qua facundia, quo auditorum omnium plausu, disputasti, quae rara vtrique disputanti contigit

tigit felicitas? TIBI Praesidi, maximos in Saxonia honores consecuto, TVO autem Respondenti, IO. FRIDERICO DE ROTH, ad Senatoris Imperii dignitatem ante aliquot annos euecto. Quanquam vero merita TVA, EXCELLENTISSIME BVNAVI, sint prorsus eximia atque singularia, quibus TIBI dulcissimam patriam, per complures annos, infinitis fere laboribus, pro publica re susceptis, haud parum obstrinxisti: mens tamen TVA, prorsus diuina, his cancellis se circumscribi, haud

haud est passa, sed, illum demum TE studiorum fructum laturum esse, iudicasti, si patriae iura etiam scriptis defenderes, atque vniuersae Germaniae Imperiique Germanici historiam, a prima origine gentis repetendam, et ad nostra tempora continuandam, luculentius accuratiusque perscriberes. Quis enim rerum, in orbe literato, nostra aetate, gestarum adeo rudis atque hospes est, vt TVAS, de titulo Caroli Magni, Carolis, Imperatoribus ex linea Francorum communi, Cogi-

Cogitationes, TVVM Dissertationum Pucholziana-rum Examen, ignoret, quo eminentiam Statuum et Marchionatus Misniae iura, aduersus Iureconsultum Pragensem, strenue adseruisti? Quis incrementa historiae Germanicae, nostro aeuo, noua facie indutae, adeo parum curat, quin Specimen illud TVVM Historiae Imperatorum et Imperii Germanici Fusius et Accuratum, seu, Vitam et Res Gestas Friderici I, Romani Imperatoris, vernacula nostra quam elegantissime conscriptum, euolue-rit?

rit? Cui, nisi inuido, artisque historicae experti, non fatendum est, opus TVVM, omni, qui conquiri potuit, apparatu, omni, quae historicum decet, arte, omni, cuius humanum ingenium capax est, accuratione, conscriptum esse? Quis, eo perlecto, cogitatione non praecepit, opus hoc, omnem omnino aetatem laturum, et, si quando Latine conuersum fuerit, quod exteri in votis habent, ILLVSTRISSIMI BVNAVIANI nominis decus, ad notitiam et admirationem totius cultioris Europae, atque

atque ad ſeram poſteritatem, transmiſſurum eſſe? Macte hac TVA inuſitata virtute, ILLVSTRISSIME DOMINE, nec minore animo vniuerſam hiſtoriam gentis noſtrae, cuius primum volumen tam auide exſpectatur, eadem arte elucubratam, diuinis adiutus viribus, quas omnes TIBI apprecantur, exaedificare aggredere, quo patria noſtra hiſtoriam, omnibus numeris et partibus abſolutam perfectamque, vel tandem habeat! Ego vero, PERILLVSTRIS DOMINE, qui meo me modulo didi-

didici metiri, non ita ſum ſufferius, vt, incomparabilem TVAM eruditionem, atque inſignia in Saxoniam merita, hac parum comta et leuidenſi epiſtola me complecti poſſe, cenſeam. Illam loquuntur ſcripta TVA, huc vſque cum republica literaria abs TE communicata: illam doctiſſima, quae paras, opera et in poſterum mirifice comprobabunt: Haec ab omnibus, ſummis, mediis, infimis, vnanimi conſenſu, celebrantur, haec TV in dies tamen amplificas, mereris bene de patria tota, praeclare de coe-

coetu puriore, egregie de Academiis ac Scholis, quarum salus adeo curae cordique TIBI est, vt haud exigua etiam incrementa abs Te sibi polliceantur. Testis est nostra Philurea, quam quo maiori prosequeris gratia et amore, eo magis omnes cogitationes in eius salute defigis, eius doctores, cum disputantes, tum praelegentes, illustri TVA praesentia subinde honestas, quin etiam omnia tam studiose diligenterque curas, vt omnes et singuli pro incolumitate NOSTRI STATORIS quotidie sup-

plicemus. Non igitur miraberis, EMINENTISSIME PRAESES, me inter eos, qui publico docentium munere in hac Academia funguntur, si vltimum, pietate tamen et obsequio nemini secundum, gratiam quoque TVAM, qua mihi nihil optabilius contingere potest, demisse ambire, hasque Orationes, summae pietatis in TE meae sanctissimique obsequii monumentum, ILLVSTRISSIMO NOMINI TVO consecrare. Equidem sic semper existimaui, incorruptae Eloquentiae Romanae cultori-

toribus, ex antiquis ſcripto-
ribus, in primis Ciceronem
nocturna diurnaque manu
verſandum, huic ſoli inhae-
rendum, hunc maſcula et-
iam imitatione, quoad eius fi-
eri poteſt, exprimendum eſ-
ſe: neque tamen a recentiori-
bus illis Oratoribus iuuenes
noſtros penitus arcendos,
arbitror, praecipue, ſi lucu-
brationes ſuas ad antiquam
illam et naturalem pulcritu-
dinem effinxerint, et, quo
pacto veteres illi Scriptores
recte ſint exprimendi, ſuo
nobis exemplo praeiuerint.
Quo quidem in inſtituto

quo magis auctoritate doctisſimorum quorundam virorum, qui, cum in hac Muſarum ſede, tum in aliis Academiis, veram illam et non fucatam eloquentiam cum fructu docuerunt, hodieque non ſine maxima ſui laude, docent, confirmari me, ſentio: eo minus ſuccenſebis mihi, DOMINE, quod non nihil otii in recenſionem Orationum elegantisſimarum *Paulini a S. Ioſepho* impendi, easque, in vſum Auditorum meorum, aliorumque ſtili cultioris amatorum, Lipſienſibus typis repetendas cura-

ui.

ui. Neque dubito, INDVL-
GENTISSIME DOMINE,
quin TV, quae incredibilis
est TVA sapientia et gratia,
hoc institutum aequi boni-
que consulturus, meque,
hoc TVO praeclaro iudicio,
ad alia maioris momenti ten-
tanda, perbenigne sis excita-
turus. Deus vero Immor-
talis, quem religiose colis,
seruet TE, EXCELLEN-
TISSIME BVNAVI, per
plures adhuc annos saluum
et incolumem, TVAMque
ILLVSTRISSIMAM Gen-
tem, quam deuote venera-
tur Saxonia, omni felicitatis

genere affluere iubeat, quo patriae sit etiam in posterum bene, salua nobis maneat religiopurior, floreant perpetuo Academiae et Scholae, nosque omnes TE INDVLGENTISSIMO MAECENATE, a Deo nobis dato, quam diutissime gaudeamus et perfruamur.

PERILLVSTRI ATQVE EXCELLENTISSIMO NOMINI TVO

Scribeb. Lipsiae XI. Kal.
Oct. CIↃ IↃCC XXVIII.

devotissimus Clients,
IO. ERHARDVS KAPPIVS.

AD
NOBILISSIMOS AVDITORES SVOS, ALIOSQVE INCORRVPTAE ELOQVENTIAE CVLTORES.

QVas, in vsum vestrum, *Nobilissimi Auditores*, aliorumque verae et germanae Eloquentiae cultorum, nouis repetendas typis curaui PAVLINI A S. IOSEPHO Orationes: eae, praeterito anno, Romae, ex typographia Bernabò, in 8, nitidissime editae fuerunt. Peropportune mihi in manus incidebant illo tempore, quo, sub finem anni superioris, de professione, veterum more, auspicanda meditabar, et, quum multa a Paulino egregie dicta fuisse, deprehenderem, quae tam corruptae, nostro aeuo, Eloquentiae Romanae faciem delineabant, quam causas harum corruptelarum vere aperire mihi videbantur: haud inconsulte me facturum esse, arbitrabar, si illa, quae in his orationibus cum cogitatis meis conueniebant, verbis eius potius, quam meis, edissererem, meaeque prolusioni nonnullos locos, quantumuis longiores, intexerem. Mire placuerunt hi, ex Pauli-

no deprompti, loci artis noſtrae cupidis, et intelligentioribus, hisque deliciis inuitati et allecti, nouam omnium orationum editionem crebrius a me efflagitarunt. Neque vero, a munere meo alienum eſſe, cenſui, ſi, quam olim M. ANTONIO MVRETO, eloquentiſſimo Oratori Romano, recenſendo, operam impenderunt Viri Clariſſimi, IOHANNES FRIDERICHVS et IACOBVS THOMASIVS, Profeſſores Lipſienſes, eamdem recentiſſimo Oratori Romano, Muretique veſtigiis praeclare inſiſtenti, commodarem, praecipue, cum hae orationes, et argumentorum delectu, et dicendi elegantia commendabiles, in oris noſtris inuentu difficiles ſint, et, niſi cariſſimo pretio, comparari non poſſint. Auctor earum, PAVLINVS A S. IOSEPHO, patria Lucenſis, Clericus eſt Regularis Scholarum Piarum, ab anno huius ſaeculi tertio decimo, munere profeſſoris Eloquentiae publici in Archigymnaſio Romanae Sapientiae functus, et adhuc, quantum ſcio, eodem fungens. Publicauit iam non nullas harum Orationum ſeparatim, quarum quatuor ad manus mihi peruenerunt, et prima quidem, de neglectu literarum humaniorum et earum corruptela, eodem anno, quo habita eſt, nimirum anno

CIↃ IↃCC XIII,

Sächsische Landesbibliothek – Staats- und Universitätsbibliothek Dresden http://digital.slub-dresden.de/id368268268/30 gefördert von der Deutschen Forschungsgemeinschaft DFG

CIↃ IↃCC XIII, Romae, apud Fr. Gonzagam, in 4. altera, de patrocinio bonarum artium, ibidem, eodem anno, prodiit ſub titulo: de mediocri et ſumma bonarum artium fortuna, quod propterea hic obſeruamus, ne quis, inſcriptione deceptus, eam a noſtra diſtinctam eſſe, iudicet. Tertia, de infelicitate illiteratorum, et quarta, de laudibus Leonis X, anno ſequente, ibidem, eadem forma, ſunt impreſſae. Cupiditas mihi inceſſit, haec prima exempla cum Orationibus iunctim editis conferendi, meque huius collationis fructum aliquem tuliſſe, credo. Deprehendi nempe, Paulinum, qui mos eſt diligentiorum ſcriptorum, in altera editione non nulla cum in ſcribendi ratione, tum in verborum ordine, quae interdum numeri oratorii cauſſa aliter collocauit, mutaſſe, tum etiam errores quosdam, qui irrepſerant, Grammaticos, v. c. *quod* pro *vt*, emendaſſe, non nullis quoque vocibus, quas non ſatis idoneae aut plane barbarae latinitatis eſſe, poſtea comperit, v. c. vocibus *puritatis* et *depraedicare*, meliores, illi *caſtitatem*, *integritatem*, *munditiem*, huic *vbique praedicare*, ſubſtituiſſe, recte quidem, meo iudicio, quum vox *puritatis* a) non pura ſatis et caſta ſit, verbum

a) Vid. CELLARII Antibarbarus p. 140, et Curae poſteriores, p. 154.

autem *depraedicare* plane barbarum. b) Quum igitur Auctor, his aliisque emendationibus, testatum omnibus fecerit, mundiciem se stili consectari, atque in eo publice tradendo vltra duodecim annos iam versatus sit, quis est vestrum, *Ornatissimi Iuuenes*, qui non praeclara quaeuis et elegantia sibi ab eo promittat? Neque opinio vestra *Vos* fallet. Naturali enim hae orationes pulcritudine exsurgunt, castae, perspicuae, numerosae, ab omni tumore et frigido quam maxime alienae, neque rerum, quibus opus est, vbertate destituuntur. Quae de literarum studiis ab Auctore nostro disputantur, insigni se laude commendant, calculo nostro maximam partem digniſſima. Quae de Leone X. nimis magnifice praedicat, contra, de nouatoribus, c) de barbaris, d) aliquando malignius inspergit, illa a Professore Archigymnasii Romani, ab hoc Pontifice fundati, haec vero ab homine, sacris Romanensibus addicto, eoque Italo, pronuntiata fuisse, considerate. Partium igitur, sectae et patriae studio interdum

b) Vid. sis, quae adscripsimus ad FRANCISCI VAVASSORIS Librum de ludicra dictione p. 7. et in Addendis.

c) p. 22. 72. d) p. 154. 224.

Sächsische Landesbibliothek – Staats- und Universitätsbibliothek Dresden http://digital.slub-dresden.de/id368268268/32 gefördert von der Deutschen Forschungsgemeinschaft DFG

dum abreptus est bonus Paulinus, qui tamen, virtutem etiam in hoste laudandam, alicubi existimauit, atque instauratores purioris religionis, *homines, in Graecis, Hebraicis Latinisque literis maxime versatos, atque omni eruditionis genere summopere instructos*, appellauit. e) Itaque ignoscimus Oratori Romano, neque patimur, istius vitii contemplatione, alias eius virtutes obliterari, f) neque periculi quicquam exinde *Vobis* metuimus, quorum pectora ex IACOBI THOMASII praefatione, ad Mureti Orationes, praeparata esse, credo, qua ratione eiusmodi scripta a Vobis euoluenda sint. Cautione scilicet opus est in legendis his aliisque orationibus, et tum argumenta, in iis pertractata, ponderanda, tum etiam formulae, phrases et voces earum sunt examinandae, ne in errores incurramus. Adducam non nulla, speciminis loco, ex Paulini nostri Orationibus, vt ratio huius examinis *Vobis* constet. P. 262, affirmat Auctor, *Maximilianum I, Caesarem, Viennensem Academiam erexisse, et Franciscum I Parisiensem Academiam, a Carolo M. praeclarissime fundatam, sed iam ve-*

tusta

e) p. 72.

f) IAC. THOMASII verba ex praefatione cit. fere nostra fecimus.

tuſtate collapſam, regia liberalitate reſtituiſſe. Quod ſi ex Paulini verbis concluditur, id quod conſequentia fere poſcere videntur, Maximilianum I Academiam Viennenſem fundaſſe: illud quidem a vero maxime abeſt. Reuerendus enim Pater, ANTONIVS STEYERERVS, Societatis Ieſu Sacerdos, in elegantiſſimis Commentariis pro Hiſtoria Alberti II, Ducis Auſtriae, p. 411, ſeqq. et p. 436, ſeqq. ſolide probauit, Academiam Viennenſem a Rudolpho IV, Fundatore, Auſtriae Duce, d. IV Idus Martias, A. CIↃ ƆƆƆ LXV, erectam fuiſſe. Quód ſi vero illud indicare voluit Orator Romanus, Maximilianum I Academiam Viennenſem, iam dudum fundatam, ſed collapſam, reſtituiſſe, mallem, paulo clarius locutus eſſet, neque aliis a mente ſua aberrandi occaſionem ſuppeditaſſet. Neque vero ipſe Maximilianus, Imperator, demum ſub Leone X, eoque *hortatore et duce*, de Academia Viennenſi praeclare meritus eſt, ſed illo, etiam tum adoleſcentulo, A. CIↃ CCCC XCII, maxima beneficia in eam contulit, naturali potius in literas et literatos amore incenſus, quam ab aliis ad ea excitandus. Digna haec viſa ſunt beneficia GEORGIO EDERO, quae Catalogo Rectorum Archigymnaſii Viennenſis, ſub anno adducto, inſereret:

reret: „Eodem anno, *inquit*, in festo S. Dio-
„nysii, Maximilianus, Rex Romanorum, Vi-
„ennam ingressus, mox Academiae huic lau-
„datissimae vltro suam offert operam, auget sti-
„pendia, confirmat priuilegia, ac multa, tem-
„porum iuiuria collapsa, Pius Imperator re-
„staurat.„ Hactenus de Academia Viennensi. Quas deinde Paulinus a S. Iosepho, more Oratorum Italorum, profanas iurandi formulas *mehercule*, g) *mehercle*, h) *hercle*, i) *medius fidius*, k) adhibuit, eas, nollem, a Vobis, *Praestantissimi Iuuenes*, ex his orationibus addisci, cum illas IACOBVS THOMASIVS, l) supra laudatus, ex scholis nostris recte proscripserit, immo Celeberrimo HEINECCIO m) iudice, licet paulo rigidiore, *nemo sanus eas probauerit*. Praeter hasce autem iurandi formulas, exciderunt Paulino alia non nulla, quae, nisi meliore auctoritate probare possitis, quam huc vsque a doctissimis viris factum est, ego quidem *Vobis* auctor essem, vt iis omnibus, praecipue in orationibus, plane abstineretis. In harum censum, si ordinem paginarum sequimur,

g) p. 103. 132. 137. 166. 170. 173. 181. 200.
h) p. 132. i) p. 154. k) p. 147.
l) in disp. de stylo ethnicismo.
m) in fundamentis stili cultioris, p. 107.

Sächsische Landesbibliothek – Staats- und Universitätsbibliothek Dresden http://digital.slub-dresden.de/id368268268/35 gefördert von der Deutschen Forschungsgemeinschaft DFG

mur, referendum est, verbum *promano*, bis ipsi elapsum. p. 5, Omnes, *inquit*, probe intelligunt, ab illis veluti e fonte *promanare*, non modo in ciues et rempublicam, verum etiam in religionem ipsam. Et, p. 195, Quid, si homo eruditus, *ait*, de XII Tabulis, vnde omnis publici et priuati iuris fons *promanauit*, de Prudentum responsis et iure non scripto, de Senatusconsultis, de Praetorum edictis, de decretis, aut de epistolis Principum, simili ratione fuisset consultus? Hanc vocem ignorant prisci scriptores omnes, nec, nisi in vna alterague vitiosa editione Senecae, in libro de Constantia Sapientis, c. 18, legitur: *tribuno militum sermo non promanauerat*. Sed Cl. CELLARIVS, in curis posterioribus, p. 438, obseruauit, Muretum et Pincianum ex MSS. correxisse, *pro manu erat*, tribus vocibus, eorumque emendationem clarissimos quosque editores secutos esse, Lipsium, A. Schottum, Car. Albertum, et Gronouium, seque multum debiturum ei, qui aliud exemplum attulerit. Nec, quantum recordor, huius vocis idoneum ex antiquo scriptore adhuc prolatum est exemplum, quem tuto sequi liceret. P. 7, et p. 168, post verba, *contingit*, *fit*, coniunctione *quod* cum coniunctiuo vsus est, quum tamen antiqui scri-

ſcriptores potius *vt* collocauerint. Ita vero priore loco, Mirari, *ait*, plerique ſolent, quonam improbo literarum fato contigerit, *quod*, tametſi hoc aeuo hominum ingenia, nihilo, quam antiquitus, deteriora ſint, imo, ſaepe et in multis praeſtantiora eſſe videantur; nemo tamen *exiſtat*, qui cum ſapientiſſimis illis literarum parentibus, qui olim floruerunt, de ingenio doctrinaeque laude contendere audeat. Aliter CICERO Philippica V, c. 18, Vtinam C. Caeſari, patri dico, *contigiſſet*, adoleſcenti, *vt eſſet* ſenatui atque optimo cuique cariſſimus. Aliter Paulinus ipſe, p. 92, Cum enim, neſcio, quo malo literarum fato, *contigiſſet*, *vt* ſuperiore aetate patrocinium Academiae huius fere *eſſet* apud eos Cardinales etc. Et poſteriore loco Paulinus: Sed vnde, inquit, *fieri* dicendum eſt, *quod* homines aetate iam matura et in foro exercitati quam qui maxime, praepoſtere tamen ac peruerſe, ſine ordine, ac ſine delectu, de iure *ſcribant*? Quum enim τὸ *vt* ad τὸ *fieri* omnino ſit referendum, nihil fere dubito, quin Auctor, in altera harum orationum editione, hoc emendaturus ſit, quemadmodum in noſtra, vtpote ſecunda editione orationis primae pro τῷ *quod*, poſt verbum fieri, *vt* poſuit. Quae enim in prima editione legebantur verba: Ex

quo

quo ingenti erga literas ſtudio *fieri* ſolebat, *quod* omnibus aliis abdicatis ex animo curis, in hanc vnam incumberent: ita mutauit in altera, et quidem noſtra editione: Ex quo ingenti erga literas ſtudio fieri ſolebat, *vt*, omnibus aliis abdicatis ex animo curis, in hanc vnam *incumberent*. Dico haec omnia, non carpendi libidine, ſed in veſtram gratiam, *Auditores Ornatiſſimi*, ne temere Paulinum in his imitemini, donec in antiquis, iisque optimis, ſcriptoribus, qui, fateor, multa in vſu harum particularum alioquin ſibi indulſerunt, alia exempla reperiatis. Cauete etiam, ne verbo deponenti *cohortari* paſſiue vtamini, quod noſter Auctor p.39, fecit. Equidem, curarent, *inquit*, opinor, ſi propoſitis praemiis, ac veluti ſublato ad meliora ſperandum ſigno, *cohortarentur*, et ad ſtudia ſua diligentius expolienda, ac magis accurate cogitateque limanda, *inflammarentur*. Quanquam enim ab aliis animaduerſum fuerit, haec apud Nonium occurrere p. m. 472. *Quadrigarius*, *Annal.* L. V, *Et dicerent*, *caſtra apta eſſe*, *atque hos* cohortarent, *vti maturarent*, et Catonem, apud Gellium, Noct. Attic. L. XV. c. 13. dicere: *exercitum ſuum pranſum*, *paratum*, cohortatum, *eduxit foras atque inſtruxit*: neſcio tamen, num auctoritate horum ſcripto-

ptorum satis defendi possit Orator noster, qui p. 171. cum Aristotele recte statuit, *primam eloquentiae virtutem esse elocutionem puram ac venustam, quae facit, vt oratio nihil barbarum, nihil insolens, aut peregrinum, habeat, sed omnia singularum vocum elegantia, earumque structura et collocatione, optime inter se cohaereant.* Idem dictum esto de verbo *amoliri* p. 141. passiue adhibito, sed ab oratore vix adhibendo, quum, quae ex Plinii Hist. Nat. et Plauto a quibusdam citantur loca, in incertis et dubiis ponenda sint. Adeone sibi persuadent, *inquit*, posse per summam fraudem *amoliri* ea, quibus ipsi carent, bonarum artium ornamenta, vnde Italiae dignitas, vnde nostrae ciuitatis splendor, vnde Christianae religionis praesidium et firmamentum, constituitur? P. 40. coniunctionem *siquidem* verbo suo postposuit his verbis: *praetereo siquidem*, omittendas esse, vt admonet diserte M. Tullius, voluptates omnes, et non modo ludum, iocum atque conuiuium, verum etiam sermonem ipsum omnium paene familiarium deserendum; qui particulae vsus in antiquis vix ac ne vix quidem obseruatus est. P. 64. voce *caelitus*, pro qua antiqui *de caelo*, *diuinitus*, dixerunt, vsus est, quam quidem etiam Mu-

reto aliquando non diſplicuiſſe, neque tamen eum aliis, niſi Seruii et Lactantii, vix idoneorum Latinae linguae auctorum, exemplis comprobare potuiſſe, nouimus. n) P. 190. et p. 193. ſeq. dum neglectum Metaphyſices, Ethices, Dialectices, ſtudii hiſtorici etc. ſaeculo noſtro exprobrat, vereor valde, ne Latinitas ipſi noua exprobretur. Ita enim priore loco: At Metaphyſicae ſtudium, quod viri ſapientes tanti fecerunt, atque Ethica, quae diſciplina morum vitaeque ciuilis magiſtra habita ſemper fuit, omnino *ſuperfluunt?* Ecquis enim veterum vocem *ſuperfluere* ſic vſurpauit? Et altero loco, E quorum vnanimi conſenſu, tantaque diuerſarum gentium conſpiratione, nemo non videt, vnam omnium fuiſſe ſententiam, ad ius ciuile amplectendum, non leuem et perfunctoriam latini ſermonis cognitionem, et *adumbratam* Dialecticae *tincturam*, vt hodie plerique exiſtimant, ſufficere; ſed, cum eloquentia et literarum ſtudio, totius *anteactae notitiae memoriam*, atque ex omni gente collectam eruditionem, requiri? At, nec mihi inte-

n) Vid. IAC. THOMASII praef. in Mureti Orationes, et Vauaſſoris Antibarbarum p. 495. ſeq.

interiorem latini ſermonis cognitionem ſapere videntur, *adumbrata* dialecticae *tinctura*, et *memoria totius anteactae notitiae*, ſed nouam latinitatem et vernaculam noſtri linguam redolent, quae a nobis tam difficulter abiicitur. Sed haec, ſpeciminis loco, nunc adduxiſſe ſufficiat, qua ratione hae Paulini noſtri Orationes, cum quod ad res, tum ad voces etc. attinet, examinari poſſent. Neque tamen hi naeui, ſi ſint tales, quales apparent, impedire videntur, quo minus hae orationes inter elegantiſſima orationum corpora, quae, noſtro acuo, Italia effinxit, merito atque optimo iure referantur. Habuit Roma, noſtra aetate, IANVM VINCENTIVM GRAVINAM, eloquentiae priſcae ſtatorem, habet Patauium, et vtinam diu habeat! IACOBVM FACCIOLATVM, non minus Oratorem diſertiſſimum, quam Dialecticum elegantiſſimum, at habet et Roma hodieque PAVLINVM noſtrum, antiquae eloquentiae Vindicem, habet et alios eloquentiae laude inſignes, ita, vt nondum penitus eae literae in Italia interierint, quae olim ei tantum ornamentum conciliarunt.

Vt autem Vobis, *Doctissimi Lectores*, vel tribus verbis dicam, quid in hac noua Orationum Paulinarum editione praestiterim, haec de ea habete, me bona fide illam ad exemplum Romanum recensuisse, et, praeter operarum errores, falsamque scribendi et interpungendi rationem, nihil immutasse, et, quo haec nostra editio ipsa Romana esset auctior, ei dissertationem de causis corruptae, hoc aeuo, Eloquentiae Romanae, vna cum indice rerum memorabilium, adieciisse. Vos autem, *Commilitones Optimi*, *aliique Eloquentiae Cultores*, hanc meam vobis inseruiendi voluntatem in bonam partem accipite, et me meaque studia in posterum quoque amate. In Academia Lipsiensi, VI. Kalend. Octobr. A. R. G. CIↃ IↃCC XXVIII

Eminen-

Eminentissimo Principi

ANNIBALI

S. R. E. PRESBYTERO CARDINALI

ALBANO

CAMERARIO

Paulinus a S. Iosepho, Scholarum Piarum.

DELIBERANDVM diu mihi non fuit, cui praecipue hoc Orationum volumen inscriberem, ANNIBAL, Cardinalis ampliſſime. Humanitas illa ſingularis, qua olim ex his vnam, no-

mini tuo nuncupatam, exceperas, satis mihi certum dederat beneuolentissimae voluntatis tuae testimonium. Nec dubitare poteram, te optimis artibus patrocinio vnquam defuturum, quas a pueritia comites, et in omni fortunae gradu dignitatis tuae administras, habuisti. Videbam praeterea, te CLEMENTIS XI. Pont. Max. immortalis memoriae Principis, patrui tui, gloriam studiosius aemulari: et ad illum non modo Ecclesiasticae vitae integritate, doctrinae studio, clementia, benignitate ceterisque virtutibus in diem propius accedere, sed etiam in promouendis literarum studiis eius vestigiis diligenter insistere. Qua de re vt plurima et illustria dederis argumenta, illud tamen praecipua laude dignissimum puto, quod, summo splendore ac regio prope sumptu,

typis

typis diuulgari curaueris elegantiſſimas eius epiſtolas, quas Breuia dicunt: tum etiam Conſiſtoriales Orationes et Homilias, quae et veteris eloquentiae maieſtatem, et perfectioris vitae doctrinam et inſtituta, continent. Quamobrem tibi debet plurimum perpetuoque debebit literaria Reſpublica: cum id munificentia tua ad omnem literatorum poſteritatem traduxerit, quod aetatis noſtrae ſingulare fuerat beneficium. Quocirca amantiſſimo patruo maiorem gratiam referre non poteras: nec, quae ſempiternae illius memoriae nunc excitanda curas, in Baſilica Diui Petri, ſplendidiſſimi mauſolei ſaxa, diuturniorem ei famam tribuent: quandoquidem ſunt quoque, vt Satyricus inquit, ſua fata ſepulchris. Nulla autem aetas, nulla temporum

obliuio, clariſſima obruet eius ingenii monumenta, nec vetuſtas vlla literatiſſimi Principis memoriam conficiet. Quid vero dicam de iis, quae Vrbini, perueteri literatorum hominum municipio, ad bonarum artium decus magnifice ac liberaliter a te fieri, accepimus? Haud ſatis tibi fuerat, perficiendis Collegii ſcholis opem contuliſſe liberaliſſimam, vt, quae patrui tui beneficentiae incoeptum, tibi vni deberent praeclari operis complementum. Vetuſtiſſimae quoque voluiſti Academiae dignitati conſulere; et, quemadmodum artes omnes, vt M. Tullius ait, ſocietate quadam inter ſe continentur: ita peramplo vnius loci ambitu ſingula earum ſtudia coniungere tibi placuit. Proinde magnificentioribus aedibus, a fundamento

to excitatis, Gymnasium publicum cum Collegio Scholarum Piarum ita connexum atque contiguum effecisti, vt plura in vnum Collegia quasi coalescant, et vnum ampliſſimae Academiae corpus constituant. Nec sane minus de literis es optime meritus, ob typographiae artem, in eadem Vrbe, ad veterem splendorem, restitutam, cuius nitoris et elegantiae quasi praegustatio sunt, Rituale Romanum, Pontificale maioris Hebdomadae, et alia, iam edita, rei sacrae destinata, volumina. Quae quidem typorum praestantia quanto optimis studiis futura sit vsui, tum etiam quanto tuae bono ac splendori patriae, cui beneefaciendi finem nullum facis, nemo non videt. Haec autem tua ad literas amplificandas ornandasque

maxime propenſa voluntas omnem mihi dubitandi locum eripuit, quin Orationes has meas, quae fere omnes ad ſtudia literarum pertinent, benigne ſuſcipias, tuoque patrocinio tuearis: cum praeſertim in tuo, prope dicam, natae atque educatae ſint ſolo, in Romano ſcilicet Archigymnaſio, quod te, ſtudiorum ſuorum perpetuum vindicem ac patronum, veneratur et colit. Quod ſi hoc meae erga te obſeruantiae argumentum, ea, qua praeſtas, incredibili benignitate exceperis, certe me et collegas meos, ad tuas praeclaras virtutes celebrandas, magis magisque excitabis.

AD

AD LECTOREM.

PRODIERANT *iam in lucem aliquot ex his Orationibus, partim ſummis Romanis Pontificibus, partim Eminentiſſimis Cardinalibus, ſingulae ſingulis, inſcriptae. Erga quos eadem vt perpetuo maneant officia, viſum eſt aequum, epiſtolas quoque ipſis praefigere, cum quibus primo editae fuerant. De illis vero, quae in parentalibus Leoni X. habitae ſunt, id praemoneo, quotannisidem argumentum, apud nos vulgatiſſimum, pertractari; proinde, vt quid noui videatur afferri, illud eſſe aliqua nouitatis ſpecie conueſtiendum. Ceterum, ſi cui orationes eiusmodi, aut reliquae minus probentur, is, per me licet, ne legat.*

ADOL.

ADOLPHVS A S. GEORGIO

Cler. Regul. Pauperum Matris Dei Scholarum Piarum

PRAEPOSITVS GENERALIS.

CVm librum, cui titulus: Orationes habitae in Archigymnasio Romanae Sapientiae a P. Paulino a S. Iosepho, nostrae Religionis Sacerdote Professo, et in eodem Archigymnasio publico Eloquentiae Professore, compositum, duo ex nostris, quibus commissum fuit, recognouerint et approbauerint, vt typis mandetur, si iis, ad quos spectat, videbitur, facultatem in Domino concedimus. In quorum fidem etc. Datum Romae, in aedibus nostris Scholarum Piarum apud S. Pantaleonem, die 22. Aprilis, 1727.

Adolphus a S. Georgio, Praepositus Generalis.

(L. S.)

Antoninus a S. Michaele, Secret.

Reg. fol. 251.

IM-

IMPRIMATVR,

Si videbitur Reuerendiſſimo Patri, Sacri Palatii Apoſtolici Magiſtro.

N. Baccarius, Epiſcopus Boianen. Vicesgerens.

APPROBATIO.

ORATIONES, quas P. Paulinus a S. Ioſepho, publicus Eloquentiae Profeſſor, habuit in Archigymnaſio Romano, Reuerendiſſimi P. F. Gregorii Selleri, Sacri Apoſtolici Palatii Magiſtri, iuſſu, legi et lectas probaui, cum in iis nihil animaduerterim, quod vel Orthodoxae Religionis placitis aduerſetur, vel, quod probatis moribus minus conſentaneum videatur. Illas praeterea, quae in lucem edantur, dignas iudico; quod, qui non fucatam, ſed ſinceram eloquentiam amant et conſectantur, ex iis, habent, quae cum laude imitentur, et diſcant, qua ratione artem Oratoriam laudabilius

Sächsische Landesbibliothek – Staats- und Universitätsbibliothek Dresden http://digital.slub-dresden.de/id368268268/51 gefördert von der Deutschen Forschungsgemeinschaft DFG

lius excolant, vt Oratio naturali exurgat pulchritudine, nulloque tumore foedata, vel nugis pueriliter exculta, dignam laudem mereatur. Mecum eadem plane sensuros, arbitror, omnes, quos non lateat, quae recte conscribendae Orationis laudanda ratio merito commendetur.

Ita censeo ego F. Thomas Maria Minorelli, Ord. Praed. Sac. Theol. Mag. Bibliothecarius Casanatensis e Coenobio Minerui-tano, IV. *Kal. Aprilis,* MDCCXXVII.

IMPRIMATVR.

Fr. Gregorius Selleri, Ordinis Praedicatorum, Sacri Palatii Apostolici Magister.

IN-

Sächsische Landesbibliothek – Staats- und Universitätsbibliothek Dresden http://digital.slub-dresden.de/id368268268/52 gefördert von der Deutschen Forschungsgemeinschaft DFG

INDEX ORATIONVM.

I. *De neglectu literarum Humaniorum, et earum corruptela.* pag. 5

II. *De patrocinio bonarum artium.* 25

III. *De laudibus Leonis X. in anniuersariis eius parentalibus.* 56

IV. *De infelicitate Illiteratorum.* 91

V. *De forensi latinitate expurganda.* 115

VI. *De vsu et necessitate Eloquentiae in foro et hodiernis iudiciis.* 157

VII. *In optimis studiis lente festinandum.* 183

VIII. *De expedita discendi ratione.* 205

IX. *De laudibus Leonis X. in anniuersariis eius parentalibus.* 217

X. *De ingeniorum delectu ad ſtudia literarum habendo.* 235

XI. *De laudibus Leonis X. in anniuerſariis eius parentalibus.* 251

XII. *Appendicis loco exhibetur editoris Programma, de cauſſis corruptae, hoc aeuo, Eloquentiae Romanae.* 257

DE

DE

NEGLECTV LITERARVM HVMANIORVM

ET

EARVM CORRVPTELA.

ORATIO I.

HABITA VI. NONAS MAII

AN. M DCC XIII.

Amplissimo et Clarissimo Iuueni

D. ALEXANDRO ALBANO

Summi Pontificis

CLEMENTIS XI.

FRATRIS FILIO

EQVITI HIEROSOLYMITANO

Et Magno Prioratus Armeniae Baiuliuo.

PAVLINVS A S. IOSEPHO

SCHOLARVM PIARVM.



Vae nuper, te audiente, in almo Vrbis Archigymnasio de Humanioribus literis publice disserui; ea sunt omnino, quae saepe et grauiter, pro iniuncti officii ratione, tibi diligenter prae oculis habenda esse monueram. Ex quo enim contigit, ad haec mitioris literaturae studia me tibi ducem praeberi; duo fuere praesertim, quae in animo penitus tuo, qua ratione, qua exemplis defigere magnopere studui: nimirum literarum censum citra sudorem parari non posse, neque optimas disciplinas consueuisse

se oscitantibus in ora delabi; sed imitandam nobis esse pertinacem indomitamque Maiorum industriam, quorum eruditionem aemulamur et gloriam: deinde, minime sperandum esse in Humanioribus literis feliciter progredi, nisi discendi labor cum optima studiorum ratione coniungeretur. Ad quam licet primo pertinere videatur tum docendi methodus, quae ex Quinctiliano neque operosa, neque fusis praeceptionibus constans esse debet, sed breuis et simplex; tum solida praeceptoris doctrina, longoque vsu subacta; tamen nihil est, quod literario progressui plus conferat, quam veterum ac politiorum auctorum lectio accurata et diuturna; Quemadmodum nihil pernicioſius magisque cauendum, quam librorum prauae corruptaeque latinitatis frequentior vsus et familiaritas. Quae quidem omnia cum tibi aliisque studioſis adoleſcentibus serio ac frequenter progressu non poenitendo ingessissem: idcirco demandata mihi nuper, ex singulari Summi Pontificis, CLEMENTIS XI. *Patrui tui, beneficentia, tuaque potissimum opera, Eloquentiae prouincia in Romano Lyceo, argumentum hoc ipso vtilius, quo publicis lectionibus praeluderem, se mihi vsquam non obtulit, quodque magis ad rem commode caderet. Illud vero, quam*

pronis auribus quantaque animi voluptate, exciperent, quotquot aderant, primae eruditionis et dignitatis Viri, tu ipse testis, imo et praeco humanissimus. Hoc itaque mihi certe fuerat satis, quin et supra vota; non tamen tibi, qui vt quamprimum oratio ipsa publici iuris fieret, etiam atque etiam efflagitasti. In qua quidem re humanitati tuae diutius mihi reluctandum non fuit, quod sperem eidem orationi maximum pondus accessurum esse ac nomen; si tu studio, industria optimorumque librorum consuetudine atque vsu, auspicato compleueris, quam sustines non vulgarem literariam expectationem. De quo cum spem mihi certiorem praebeant non modo egregia indoles tua, et supra aetatem iudicii maturitas, cum insigni morum grauitate coniuncta; sed etiam singularis illa animi propensio tam erga literas, quam literatos, quos vehementer amas, libentissime excipis, eosque fouendos esse et palam dictitas, et, qua potes, impense curas, votis tuis vltro, ac libens obtempero; orationemque publico iudicio committo, tua tamen nomini inscriptam; vt te ingenuae et castae latinitatis non tam candidatum, quam patronum et vindicem literaria Respublica futurum intelligat, et mecum officiosa animi gratulatione veneretur.

Neminem

NEminem vestrum ignorare arbitror, eam semper fuisse consuetudinem, vt, quamprimum quispiam ad hanc ampliſſimam eloquentiae ſedem accederet, ſolenni quadam indicta concione, quicquid virium, aut artis in dicendo ſibi comparaſſet, eo potiſſimum conferret, vt in humanioribus literis et eloquentia vtilitatem maximam cum dignitate coniunctam eſſe contenderet. Quae quidem conſuetudo licet mihi reprehendenda minime videatur, ab huiusmodi tamen inſtituti ratione, et ipſamet argumenti magnitudo, et ſumma auditorum dignitas, neceſſario me reuocat, alioque abducit. Quid enim eſt, quod ad optimarum artium ornamentum tam ingenioſe excogitari, aut diſerte dici poſſit, quod longe infra earum amplitudinem non iaceat, vel ab eloquentiſſimis viris iampridem occupatum, ſplendideque ex hoc ipſo loco pertractatum non fuerit, aut etiam multiplici veſtrae eruditioni obſcurum eſſe cenſeatur? Nemo profecto, nemo veſtrum, aut eorum, qui adſunt, ignorat, quantum ſplendoris et gloriae, quantum praeſidii ac virium rebus cum priuatis tum publicis conferat literarum ſtudium et eloquentia. Omnes probe intelligunt, ab illis veluti e fonte promanare, non modo in

ciues et Rempublicam, verum etiam (quod certe momenti maioris est ac ponderis) in Religionem ipsam tot tantaque praesentissima commoda, vt de iisdem asserendum esse putauerim, quod praeclare Tullius de amicitia, (*) quod nempe si quis eas de medio tolleret, solem e caelo sustuliisse videretur. Quocirca ne actum agere videar, aut crambem recoctam, vt aiunt, proponere; nihil de literarum dignitate, aut praestantia, nihil de necessitate eloquentiae, vel vsu in medium proferam: sed illud tantum totis industriae viribus contendam inquirere, quid potissimum causae sit, quod hac nostra tempestate, in tanta scilicet ceterarum omnium artium gloria scientiarumque incremento, humaniores literae potius in dies collabi, et ad interitum vergere videantur; cum iam fere reperiatur nemo, qui nedum vberiori illa eruditionis facultate, qua maiores nostros tantopere inclaruisse miramur, quodammodo sit ornatus; sed neque latini sermonis castitatem et elegantiam sibi omnino tribuere audeat. Arduum fortasse fuerit ac periculosae plenum aleae argumentum; vobis tamen, Patres Ampliſſimi, et iis omnibus, qui

(*) Laelius de amicitia c. 13.

qui humaniores literas ſtudio, aut amore aliquo proſequuntur, vt puto, optandum maxime; ingenuis vero adoleſcentibus, qui literarum earundem ſtudiis initiati ſunt, opportunum illud omnino fore cõfido.

Mirari plerique ſolent, quonam improbo literarum fato contigerit, quod, tametſi hoc aeuo hominum ingenia nihilo, quam antiquitus, deteriora ſint, imo ſaepe et in multis praeſtantiora eſſe videantur; nemo tamen exiſtat, qui cum ſapientiſſimis illis literarum parentibus, qui olim floruerunt, de ingenio doctrinaeque laude contendere audeat. Nonne, inquiunt, in grauioribus magiſque arduis diſciplinis ſolertiam veterum ingeniumque aetas noſtra non aequauit modo, verum etiam longe lateque ſuperauit? Recentiorem percurrite Philoſophiam: quot doctrinae ſolidioris in ea progreſſus! quot nouae hypotheſes, limatiori iudicio elaboratae, validoque rationis et experientiae praeſidio communitae! quot naturae reconditioris arcana, quorum cauſſae omnium opinione difficillimae, imo humano ingenio prorſus imperuiae eſſe cenſebantur, inſtituta recens philoſophandi ratio acute penetrauit, clariſſimeque detexit! Mathematicis vero diſciplinis quantum ſplendoris atque

amplitudinis ex singulis fere aetatibus, praesertim vero superiori saeculo accessit? Profecto nulli veterum innotuerat Logarithmorum genesis, neque Algebrae speciosae methodus, neque fluida Caelorum natura, aut tricorporea Saturni maiestas, ac sexcenta alia rerum pulcherrimarum inuenta, quibus aetas nostra se merito sapientiorem esse gloriatur. Praeterea iuniorum solertia cum rem medicam progressu non poenitendo ampliauerit; cumque rei militaris scientia complures, memoria nostra, inclaruerint duces, qui veterum gloriam fortitudine, consilio rebusque gestis facile superarunt; qua ratione contigerit, esse neminem, qui literarum fama et eruditionis laude antiquitati palmam praeripere audeat; sed satis sibi gloriae ducat, si multo sudore multisque vigiliis eo tandem peruenerit, vt ab antiquorum praestantia non longissime abesse videatur? Adeone deterior literarum conditio, vt in tanta ingeniorum vbertate ceterarumque scientiarum progressu, illae propemodum destitutae iaceant, ac ne passum quidem progrediantur? Ego sane fatalem huiusmodi literarum calamitatem duplici caussae potissimum tribuendam esse iudico; et quod studio industriaeque maiorum longe impares sumus, et quod longissime ab optima studio-

rum

rum ratione receſſimus. Cui duplici litera-
rum infortunio, vt tempeſtiue, ſi fieri poſſit,
occurratur; conſtitui, hodierno die vtrumque
oratione perſequi, et vtrumque ea, qua pote-
ro, induſtria, ſtudioſae iuuentuti praecauere.

Et quidem ad ea ſemper maiori animorum
contentione incitamur, quae pluris facimus,
impenſiusque aeſtimamus. Pulcherrimas res
atque optimas nullo frequenter ſtudio proſe-
quimur, non quod illae reuera negligi dignae
ſint, ſed quod nobis negligendae eſſe videan-
tur. Neque enim tantum ab ipſa rerum pul-
chritudine ac dignitate, quantum ab earum
opinione atque aeſtimatione mouemur.
Quamobrem cum literas Maiores noſtri in eo
pretio ac dignitate ſemper habuerint, vt in
ipſis maximum vitae ornamentum, ac ſum-
mum Reipublicae bonum ſitum eſſe putarent,
mirandum non eſt, easdem tam ſingulari amo-
re ardentique ſtudio complecterentur. Ve-
hementius illi plane literariae dignitatis famam
deperibant, quam ambitioſiſſimus quisque fas-
ces, conſulatus, imperium: parandaeque ſi-
bi eruditioni acrius inſudabant, quam auari
homines pecuniae fortunisque augendis. Po-
ſtremo magis illi de literis, quam nos de aris
focisque tutandis, ſoliciti. Ex quo ingenti

erga literas ſtudio fieri ſolebat, vt omnibus aliis abdicatis ex animo curis, in hanc vnam incumberent, et in hanc veluti metam totos induſtriae neruos intenderent. Quocirca incredibile nemini videatur, eos tantopere literarum amore ſuccenſos, ceteris ſibi voluptatibus interdixiſſe, rei familiaris curam abieciſſe, ſomno, cibo potuque frequentius abſtinuiſſe, quo celerius ad earum gloriam aſſurgerent. Vulgare eſt ac tritum, ſummum illum dicendi magiſtrum, Demoſthenem, quo nemo vnquam laborioſius, nemo per plura naturae obſtacula eloquentiae verticem adiit, plus olei conſumſiſſe, quam vini, omnesque artifices antelucana induſtria ſuperaſſe. Non ignorabant ſiquidem viri prudentiſſimi, labore minime vulgari venalia eſſe eruditionis ac literarum praemia. Non ignorabant, ad literarum ſtudia aeque illud pertinere, quod de Philoſophia omnium ore percrebuit, poſtulari videlicet totum hominem. Hinc Cicero, homo plane ad eloquentiam et eruditionem factus, cum diligentius cauſſam requireret, cur in tantis eloquentiae praemiis tantaque gloria, pauci tamen reperirentur, qui in eius laude proficerent, opportune docuit, hanc eſſe praecipuam, quod ea ſtudiorum genera omnem

omnem sibi animum omnemque solicitudinem vindicarent. Omittendae sunt, inquit,(*) omnes voluptates, relinquenda studia delectationis, ludus, iocus, conuiuium, sermo etiam paene omnium familiarium deserendus.

Quae quidem ne cui ad amplificandam literarum famam magnifice enunciata esse videantur; cogitate mecum, Auditores, quot quantaque caelo, terra marique occurrant, quorum cognitio non leuis ac perfunctoria, sed plena ac bene subacta ad eos necessario pertinet, qui in eiusmodi disciplinis laudem aliquam assequi meditantur. Quanta enim fabularum eruditio! Quanta Poetarum, aut carminum varietas! Quanta historiarum rerumque ab orbe condito gestarum series! Haud parum certe negotii facessit tot auctorum plenam solidamque cognitionem consequi, et tam multiplex dicendi genus probe accurateque dignoscere posse, ac distinguere. Alii siquidem in dicendo robusti ac neruosi: alii molliores et magis ad elegantiam proni. Hic festiuitatis et leporis plenus; acrius ille probat, vrgetque efficacius. In hoc phrasis tersa, facilis, non affectata, maximam spirans suauitatem. Sublimior in alio, succo plenior,

(*) Orat. pro M. Coelio c. 19.

Sächsische Landesbibliothek – Staats- und Universitätsbibliothek Dresden http://digital.slub-dresden.de/id368268268/65 gefördert von der Deutschen Forschungsgemeinschaft DFG

nior, totaque ad grauitatem plane ſenatoriam compoſita. Praeterea cum omnes artes, vt ait praeclare Tullius, quae ad humanitatem pertinent, habeant quoddam commune vinculum, et quaſi cognatione quadam inter ſe contineantur; dubitari minime poteſt, quin nulla ſit ſcientia, aut ars liberalis, cuius cognitione aliqua tinctus eſſe non oporteat, qui ad literarum et eruditionis gloriam contendit. Si quis enim Dialecticam, Mathematicam, Ethicam, Politicam, aliasque Philoſophiae partes, ne longe quidem a veſtibulo ſalutauerit, non modo de tot tantisque rebus, quarum notitia ab iis fontibus haurienda eſt, neque vnum verbum facere audebit, ſed neque plene intelligere poterit poetas ipſos, oratores, aut hiſtoricos in eo diſciplinarum genere praeclariſſimos. Quis enim Plinium, Plutarchum, Quinctilianum, aut Virgilium ipſum tam multa de Phyſica, multa de Geographia, ac de Aſtronomia multa ſubtiliter ſolideque pertractantes intelligat, qui nondum primas earundem ſcientiarum lineas duxerit? Neceſſe erit profecto in euoluendis huiusmodi libris, tanquam ad ſcopulos paſſim haereat, vel ſaltem ita balbutiat, ac ſi ſphingem aliquam offendiſſet, aut monſtra immania enuncianda eſſent.

Quae

Quae quidem omnia cum ſudorem induſtriamque exigant, et maximam et diuturnam, mirandum non eſt, veteres tam aſſiduo ac pertinaci labore in literario puluere deſudaſſe. Intelligebant illi, plane nullam ſapientiae viam eſſe imperuiam, ſi conatus acceſſiſſet ac labor, qui improbitate ſua omnia vincit. Intelligebant in arduo montis domicilium habere muſas; verum eo quoque induſtria volari poſſe, ſi aliter perueniri non poſſit. Cum itaque experientia didiciſſent magiſtra id, quod Graecus ille Metrocles ſapienter dictitabat, nimirum res alias omnes emi poſſe pecunia, literas vero tempore; nihil erat omnino, quod tam accurate ac tam religioſe ſeruandum eſſe putarent, quam tempus. Hinc vel exiguam diei particulam per otium deſidiamque traducere, impendium omnium grauiſſimum cenſebatur. Ac proinde ne momentum ſibi otioſe vnquam effflueret, quod potui, quod cibo, quod itineri tribui neceſſe erat, cum aliquo eruditionis ſtudio coniunctum eſſe volebant. Quandoquidem ex Plutarcho accepimus, eam fuiſſe maiorum conſuetudinem, vt dum lectica iter agerent, aut recitantem aliquem audirent, aut nonnulla ſibi ex lectione annotarent, aut etiam non

raro

raro aliis dictando, non tam tempus, vt poetae loquuntur, fallerent, quam traducerent fructuosissime. Hinc memoria proditum est, illum promum condum vniuersae eruditionis, quem nulla vnquam filebit posteritas, C. Plinium seuere rigideque nepotem suum obiurgasse, quod illum, omissa lectica, vidisset deambulantem. Poteras, inquit, has horas non perdere. Tanti scilicet putabant studiosissimi viri, vel minimi temporis habere rationem; illud totum periisse rati, ex quo sibi aliquis sapientiae prouentus non accessisset.

At nos, (pudet me, magnopere pudet, proiectam temporum nostrorum ignauiam cum indomita maiorum diligentia conferre) nos, inquam, quibus, vt Seneca dolebat vehementer, tempore nihil est vilius, illud partim tuendae accuratius, quam par est, valetudini, partim somno, partim conuiuiis, partim etiam mulierculorum more, calamistris et speculo effundimus liberalissime. Ac deinde quod aulae officiis, quod voluptatibus, quod ludis, quod auaritiae, aut ambitioni supersest tempus in literis et eruditione reponimus. Non est ergo, cur miremur, maioribus nostris tanto inferiores nos esse doctrina, qui tantopere infra ipsos sumus laborandi studio. Merito ab eorum gloria tam longe aberra-

mus,

Sächsische Landesbibliothek – Staats- und Universitätsbibliothek Dresden http://digital.slub-dresden.de/id368268268/68 gefördert von der Deutschen Forschungsgemeinschaft DFG

mus, quorum non imitamur induſtriam: quam reuera imitandam ſibi vnusquisque propone-ret, ſi quod erga literas ſtudium in nobis reliquum ſupereſſet. Sed relanguit iampridem, relanguit in plerisque hominum amor erga optimas diſciplinas. Reſtinctus eſt omnino vetus ille ad honeſtas artes ardor animorum atque contentio. Inueterauit enim iam opinio quaedam, non modo literis humanioribus perniciosa, verum etiam ſcientiarum omnium ordini maxime periculoſa, in hoc ſtudiorum genere nihil gloriae, nihil diuitiarum eſſe ſperandum. Ac proinde non ſine grauiſſimo animi dolore, quotidie videmus adoleſcentes egregia indole, ingenioque praeſtantes, vix delibatis Grammaticae rudimentis, vix rudioribus ſubauditis ex Dialectica vocibus, ſtatim coeco quodam impetu ad Hippocratis aphorismos, vel ad Iuſtiniani codicem properare; illic tantum gloriae, illic diuitiarum certiſſimam ſpem propoſitam eſſe dictitantes. O praeclara ſciolorum conſilia! O praepoſteram aetatis noſtrae ſapientiam! Itane peſſime rebus ſuis conſultum eſſe voluerunt Bembi, Sadoleti, Corteſii, Antoniani, qui omnes in Senatum Apoſtolicum cooptati fuere, aliique paene innumeri, ſtrenui literarum

rarum cultores, vt aetatem omnem per summum laborem in iis studiis contererent, ex quibus nulla sibi vtilitas, nulla amplitudo, aut dignitas oriretur? Sed omittamus infantissimos istos literarum aestimatores, quorum audaciam in iudicii seueritatem vocare, neque locus, neque temporis angustia permittit. Contemnant modo, quae citra infamiam ignorare non possunt. Deserant musarum castra, si placet; exeant, proficiscantur. Etenim non desunt nobis in hac Vrbe, veteri optimarum artium domicilio, ex tota Italia, imo ex tota fere Europa adolescentes optimi, qui cum praestantia ingenii animorum ardore coniuncto, sapientiam impensissime amant, et in deliciis et amoribus habent honestissimas disciplinas. Non desunt, neque deerunt vnquam viri clarissimi, de literaria Republica optime meriti, qui literas per omnem aetatis gradum ita coluere, et colunt, vt ad eas sustentandas atque ornandas omnino nati esse videantur.

Quid tamen est, quod in tanta scholarum frequentia, in tanta ingeniorum vi studiorumque contentione, vix tamen vnus, aut alter hodie reperiatur, qui ea latini sermonis integritate atque elegantia valeat, quae olim duobus cir-

circiter ab hinc saeculis, post restitutas scilicet a Summorum Pontificum, et a Mediceae Familiae munificentia literas, tantopere in hac Vrbe, imo per Italiam omnem efflоruit? Tunc enim Angelus Politianus, tunc Hermolaus Barbarus, tunc Ianus Parrhasius, Philippus Beroaldus, Romulus Amasaeus, Paulus Iouius, aliique sexcenti floruerunt, qui latino sermone adeo perpoliti limatique fuere, vt ad Ciceronem ipsum, Caesarem, Liuium, Cornelium Nepotem ceterosque Romanae linguae scriptores castigatissimos, munditia styli et elegantia visi fuerint perquam proxime accessisse. Nunc vero, qui hanc laudem optimo sibi iure omnino tribuere possit, vix aliquem esse nouimus. Quae quidem luctuosa calamitas cuinam fato praecipue sit tribuenda, non vna est eademque omnium opinio. Contendunt nonnulli, principem caussam esse methodum, docendique rationem, qua hodie in Grammaticae scholis homines nostri vtuntur: cum illa adeo perturbata, adeo obscura, et inanium praeceptorum tricis vndique implexa esse videatur, vt iam miseri adolescentes diutius Grammaticae ambagibus, quam olim labyrintho Cretensi Theseus, immorari cogantur; ideoque meliores aetatis annos non

in ipsa Romanae linguae vi ac puriori stylo, sed in negotiosa canonum minutissimorum congerie, appendicibus, scholiis, obseruationibus traducant: quarum diuturno et importuno tinnitu haud raro adolescentium aures et ingenia ita lassantur, vt ad ceteras disciplinas malint crudi adhuc et elingues festinare, quam in ipsis grammaticorum subselliis turpiter consenescere. Alii vero, emunctioris fortasse naris, causſam omnem huiusce damni esse dictitant, magistrorum optimorum inopiam: nimirum hoc aeuo scholarum quidem maximam esse frequentiam, magistros vero perquam pauciſſimos. Vulgarem iam esse consuetudinem, Grammaticae institutiones literasque humaniores ab iis doceri, qui aliis ipsi magistris reuera indigerent; atque artes illas, quas olim in scholis tradere consueuerant scholae primae auctoritatis profundaeque eruditionis, qui exemplo suo adolescentulos ad honestarum artium studia cohortari et quodammodo incitare videbantur, ab imperitis modo hominibus ac nouis pertractari, qui ad Orbilii ferulam non semel essent remittendi.

Quas quidem cauſſas quanquam ego et perspicuas et grauiſſimas esse non dubitem; adhuc tamen grauiorem aliam in medium afferre

ferre ſtatui, ex qua ſupremum latini ſermonis exitium ac peſtem proficiſci, haud obſcure intelligetis. Ad deturpandam enim latinae linguae caſtitatem nihil magis valere contendo, quam corruptae deprauataeque latinitatis libros frequenter euoluere. Horum profecto familiaritate, horum commercio, vt in ſole ambulantibus euenire ſolet, latina oratio paulatim immutari conſueuit, ac decolorari. Hinc tam multos naeuos, hinc tot maculas ac ſermonis vitia contraximus. Cum enim omnis loquendi facultas neceſſario a nobis accipienda ſit tum ex vocibus, tum ex ea dicendi forma, quam vel auribus, vel lectione percipimus; ſi legendi ſtudio corruptas voces dicendique barbariem contraxeris, ſermonem quoque impolitum ac ſemibarbarum conflari neceſſe erit. Quid vero defaecatum ac purum ex lutulentis quorundam ſcriptorum libris haurire poſſis, in quibus praeter latina aliquot vocabula, vel obſoleta et ab Euandri ſaeculo repetita, vel recens in Latium temere immiſſa, nihil eſt omnino, quod Latium ipſum redolere videatur? Et tamen tam multi hac noſtra tempeſtate eo deuenerunt amentiae, vt optimis quibusque auctoribus valere iuſſis, ſemilatinos iſtos recentiores, fuco plenos,

nullius ſucci ac ſanguinis, in deliciis et amoribus habeant, libentius peruolutent, iisque ſolenne dicant ſacramentum. Qua quidem re latino ſermoni fatum perniciosius eſſe non video; praeſertim vero ſi adoleſcentes, quorum mentibus mollioribus, quicquid ex lectione percipiunt, haerere ſolet tenacius, eo librorum lenocinio oblectari, atque iis diutius immorari conſueſcant. Quod enim in illis neque dictionis Tullianae robur, neque Caeſaris, aut Liuii perpolitam elocutionem, neque ſententiarum vim, leporem et elegantiam, quae paſſim in Plauto, Terentio, Salluſtio aliisque compluribus nitidiſſimae latinitatis parentibus, minime reperirent, et propterea in iisdem euoluendis oleum reuera et operam perderent; dolendum quidem eſſet vehementer, ſed tamen aliqua ratione ferendum. At vero cum ex ea lectione, aut breuitatem hauriant ſibyllinis foliis obſcuriorem, aut ventoſum ampullatumque dicendi genus, quod caelum ipſum audacia petit; cum tumultuariam ineptarum vocum congeriem et deſultoriam vbique orationem offendant; qua ratione fieri poteſt, per Deum immortalem, vt tam peſtiferam labem minime contrahant, neque in tam proiecta latinae linguae corru-

corruptela periclitentur? Hinc profecto, hinc oritur affectata illa dicendi breuitas noſtrorum hominum, quae in antithetis frigidisque argutiolis tota eſt: hinc languida illa omnino et elumbis oratio, quae plus aequo ſententioſa videri amat: hinc comptula et fuco pigmentisque ad nauſeam vsque colorata eloquentiae facies: hinc denique ſtylus, in plerisque tam barbarus, inconditus et exoticus, vt non tam Romanam, quam Italicam dictionem foediſſime oleat.

At fatalis huiusmodi librorum peſtis ex eo mihi perniciosior eſſe videtur, quod homines eorum ſtudio perinde ac Circaeo poculo imbuti, a ſaniori iudicio tam longe abeant, vt limatiſſimos quosque ſcriptores paruipendant, ac puriſſimae latinitatis ſuccum omnino faſtidiant. Quapropter ab ipſis Romanae eloquentiae princeps M. Tullius nimis verboſus nimiaeque loquentiae reprehenditur: imus ac pedeſter Virgilius: Florus ſiccus ac ieiunus; aſper multisque in locis cenſoria virgula notandus Quinctilianus. In qua quidem iudicandi ratione, aut mentis omnino impotes, aut iis aegris ſimillimi eſſe videntur, quibus ſapore, ex aegritudine corrupto, optimus quisque cibus faſtidio ſolet eſſe ac ſtomacho.

Desipit nimirum insanis fucosae latinitatis amatoribus natiua et inaffectata latinae linguae simplicitas. Desipit aequabile dicendi genus, grauitatem spirans et elegantiam. Desipit demum, quicquid ampullis et sermonis granditate non resonat. Ac proinde Choerilos suos et Codros semper manu et ore fouent, iis impensissime oblectantur; qua possunt, laudibus efferunt, et vbique praedicant. Quin etiam, si quid virium ad scribendum, aut dicendum habeant, teterrimam illam sermonis corruptelam tam studiose minuteque affectant, vt nisi iisdem magistris suis amentiores, eorundem tamen amentiam haud parum feliciter aequasse videantur.

Quae cum ita sint, Auditores, quis vestrum satis superque non intelligit, supremum latino sermoni excidium ex deprauatae latinitatis lectione potissimum deriuari; eiusque furfuris libros tantopere pernicioſos, vltra Sauromatas et glacialem Oceanum explodendos omnino esse, atque amandandos? Vtinam ipsi eadem poenarum seueritate ex literaria Republica proscriberentur, qua expungi exterminarique solent ex Catholico Orbe nequissima Nouatorum volumina! Vtinam iidem tam obuio ac facili publicae lucis aditu intercluderen-

rentur! Nisi enim huic malo tandem tempestiue occurratur, labentibus in diem et ad interitum vergentibus literis, si qua adhuc ex latina lingua supereſt vmbra, breui ex hac Vrbe prorsus totaque Italia euaneſcet.

Opem itaque veſtram, Adoleſcentes optimi, implorat imminens literarum calamitas et vltimum Romanae linguae diſcrimen. Vos veteris earundem gloriae vindices aſſertoresque ereptae dignitatis eſtote. Veſtrum ſit, ſtudio ac labore efficere, vt exoticarum dictionum pulſa barbarie, ſuus Romanae linguae ſplendor et politioribus diſciplinis dignitas reſtituatur. Quod quidem nullo negotio perficietis, ſi ineptiſſimis reiectis libris, induſtriam omnem ſtudiumque in euoluendis antiquis incorruptaeque latinitatis auctoribus conferatis. Hos diligenter ac ſaepiſſime legite: hos perpetuo manibus atque oculis peruolutate, et ad verbum, ſi fieri poſſit, ediſcite. In horum vim, grauitatem et aculeos intueri, maxime fructuoſum. Horum ſedula imitatione ſtylum elimatum, elegantiae plenum atque omnino latinum breui comparabitis. In quo quidem imitandum vobis ob oculos ponite praeclariſſimum Vrbis et Orbis exemplum, Pontificem Maximum, Clementem XI. cuius

ſumma latini ſermonis integritas et eloquentia plane Romana non alios certe redolet fontes, niſi veteres ac politiſſimos Romanae linguae ſcriptores. Ex diuturna horum lectione maturaque imitatione conciliauit ſibi ſapientiſſimus Princeps venuſtum illud, graue ac ſententioſum dicendi genus, quod in eo et nos tantopere demiramur, et quamdiu eloquentiae honeſtisque artibus honor erit ac nomen, poſteritas omnis immortalitati commendabit. Ego vero pro hoc publico eloquentiae munere, quod mihi nuper ex ſingulari ſua erga me beneficentia idem ſanctiſſimus Pater demandauit, nonniſi puriſſimum quemque latini ſermonis auctorem publicis lectionibus interpretandum ſuſcipiam; et, quantum in me erit, operam dabo, vt ingenui Adoleſcentes, qui huc literarum humaniorum ſtudio conueniunt, ex aſſidua veterum optimorum librorum familiaritate atque vſu latini ſermonis integritatem ament, eamque ſedulo imitari ſtudeant; vt quantum fieri poteſt, veteri ſplendori Romana lingua reſtituatur.

)o(

DE

DE

PATROCINIO BONARVM ARTIVM

ORATIO II.

HABITA XV. KALEND. NOVEMBRIS

AN. M DCC XIII.

Eminentissimo Principi
ANNIBALI
S.R.E. Diacono Cardinali
ALBANO
Summi Pontificis
CLEMENTIS XI.
FRATRIS FILIO
PAVLINVS A S. IOSEPHO
Scholarum Piarum.

COgitanti mihi, PRINCEPS EMINENTISSIME, *cuius sisterem patrocinio hanc, non tam orationem meam, quam caussam bonarum artium honestissimam, occurrit statim Romanus Pontifex, patruus tuus; cui cum multis aliis nominibus, tum illo potissimum a me debebatur, quod cum ipse per omnem aetatem tam literatorum, quam literarum et fuerit, et sit amantissimus Pater, idcirco huiusmodi argumento*

vim

vim auctoritatemque maximam conciliasset. Sed quidam non inanis timor consilium vicit ac votum meum. Timui, ne ingratus illi ac molestus fierem, dum maxime gratus et officiosus esse contenderem. Cum enim de studiosis bonarum artium patronis tota res esset, ac nemini non esset exploratissimum, omnem illius vitam, fortunas ac dignitatem cum earundem bonarum artium studio ac tutela fuisse coniunctissimam, haud potui, citra quandam communis existimationis labem, de eodem in hac re omnino silere: quod tamen, pro singulari sua inuictaque modestia, iniucundum illi ac permolestum fore, certo scio. Nam ipse, vt de M. Catone ait Sallustius, cum bonus esse malit, quam videri, laudes omnes auersatur suas, iisque omnem, qua potest, aditum intercludit. Verum cum diu cognitum mihi perspectumque esset, liberalium artium patrocinium ad Albanam domum auito quodam et haereditario iure pertinere, non tam difficile fore duxi, alium quemquam ex ipsa domo humanissimum studiorum fautorem reperire, quam quis praeceteris seligendus esset, statuere. Quandoquidem omnes, quotquot in ea sunt, viros doctos et eruditos complecti ac fouere impensissime solent, et, vt de L. Lucullo legimus, literatorum

fami-

familiaritate magnopere delectantur. At quamobrem te aliis omnibus ex tam praeclara familia praeferendum esse non putarem, Cardinalis amplissime, qui vt dignitate atque auctoritate, sic literis et sapientia longe ceteris antecellis? Te itaque vnum oratio haec mea, seu potius optimae artes, quarum caussa instituta est, te, inquam, vnum implorant; tuoque faustissimo nomine ornari cupiunt ac propugnari. Et sane earum caussam deserere non potes, nisi velis et tuam deserere; eas quippe omnes ita in te vno complecteris, vt cum ipsarum fortuna, qualiscunque illa sit, necessario tibi coniunctio quaedam ac societas intercedere videatur. Imo nisi id, quod reuera est, dissimulare velis, splendidissimam illam, qua refulges, Purpurae dignitatem disciplinarum earundum beneficio praecipue referre debes acceptam: cum nemini obscurum sit, eam fuisse tibi propositam, non, vt alias, ex Pontificis amore, aut ipsius meritis impertiendam, sed tuis. Quibus vero, nisi optimarum artium praesidio instructus, illam tibi iudicii maturitatem et in rebus gerendis industriam comparasses, qua in leuamen laborum ac Pontificiae solicitudinis partem opportune venire posses, atque in Ecclesia et in Euangelio laborare cum

Cle-

Clemente? Nemini ergo mirum esse videatur, si diem, in quo tibi tandem ex Orbis totius suffragiis summaque Vrbis laetitia, constitutus fuit amplissimus honor, singulari aliquo erga literas beneficio distinctum ac notatum maxime volueris. Cum enim tunc forte a transalpina Legatione Vrbini commorareris, accepto vix Purpurae delatae nuncio, confestim te annuo censu Abbatiae, quam Sanctae Mariae de Citria dicunt, ad annos aliquot abdicasti, vt eiusmodi liberalitatis subsidio ad nostrum Vrbinatense Collegium, paterna iam tum recens Clementis XI. beneficentia excitatum, ampliores scholarum sedes accederent. Qua quidem re illud aperte testatum esse voluisti, clarissimae dignitatis accessionem te liberalibus disciplinis acceptam maxime profiteri, ac tuae propterea voluntatis erga illas tam illustrem dedisse praerogatiuam. In quo id primo commendatione dignum esse putauerim, quod scilicet partem de annuo censu tibi detrahere eo ipso tempore non dubitaueris, quo intelligebas, ad illud te euectum esse fastigium, quod quo magis a priuati hominis fortuna recedit, eo grauiores in rem familiarem ac seruitium domesticum sumptus exigat necesse est. Eodem accedit, quod ea aetate hoc ipsum feceris,

ris, qua nihil est, quod luculentiori Ecclesiae patrimonio magis obstare posse videatur, quam ipsa cum Pontifice cognatio ac necessitudo. Iam enim Ecclesiastica bona, quae ceteris quam latissime patent, iis, qui sanguine cum Pontifice coniuncti sunt, mediocritatis cuiusdam lege ac terminis definiuntur. Quamobrem haud vulgare amoris tui indicium erga literarum studia tum plane exhibuisti, cum amplificandis Vrbinatensis Collegii scholis aureorum aliquot millia liberalissime contulisti. Cuius quidem munificentiae memorem animum non modo optimae artes, Collegii illius incolae, perpetuo habiturae sunt, sed vniuersus quoque noster Scholarum Piarum Ordo huiusce liberalitatis memoriam tui nominis immortalitati commendabit. Ego interim, vt tibi pro his aliisque praeclaris erga nos meritis, eiusdem Ordinis totius nomine gratias agerem, exiguum hoc pertenuis ingenii mei munus offerre statui. Quod tamen si ea, qua praeditus es, humanitate exceperis, id mihi beneficii cuiusdam noui instar erit; quo illud etiam efficies, vt maius aliquando gratae erga te voluntatis meae proferam argumentum.

SI quis vestrum fortasse putet, Patres amplissimi, me hodierno die ad dicendum idcirco accessisse, vt intermissum iampridem ac diuturna cessatione torpentem bonarum artium amorem in adolescentium animis excitare, eosque ad studiorum cursum alacrius instaurandum cohortari atque inflammare contenderem, is certe fallitur, et ab instituti mei ratione longissime aberrat. Satis enim intelligo, quae ac quanta sit eorundem erga optimas disciplinas alacritas, quanta ingeniorum contentio ac doctrinae cupiditas; cuius adipiscendae studio partim patriam, qua nihil solet esse iucundius, partim fratres, aut parentes charissimos, partim ampla paternae domus commoda, omnes profecto vacuae dulcissimaeque vitae otium fortiter deuouerunt. Quid igitur a me tam sapienter excogitari, aut, pro scientiarum amplitudine, tam diserte dici valeat, quod ipsos in anniuersaria hac studiorum instauratione ad huiusmodi laudem magis incitare possit, et calcaria, vt aiunt, sponte currentibus addere? Id mecum cum ipse diu reputarem, illud tandem sese obtulit animo, me nihil ad rem opportunius, quodque magis bonarum artium dignitatem augeret, posse suscipere, quam si perantiqua illa disciplinarum lauda-

tione

tione praetermissa, perniciosis quorundam hominum opinionibus occurrerem, quibus haud raro iuuenes ab incepto studiorum cursu deduci solent, aut saltem maxime retardari. Percrebuit enim non modo Romae, sed et apud exteras nationes, literatorum quorundam sermo, scientias hac nostra tempestate eam ob caussam nequaquam, vt olim, pristina dignitate ac gloria vigere, quod nunc veteres illi optimarum artium Maecenates minime reperiantur; ac proinde quod illae plerumque intra mediocritatem consistant, quod multis in locis aut misere iaceant, aut in dies collabi videantur; id neque senescenti earundem artium aetati, neque effoetis ingeniorum viribus, sed rei literariae fauentium paucitati omnino esse tribuendum. Quae quidem opinio cum non solum fautores ipsos literarum beneficentissimos, qui reuera nunc sunt, haud mediocri iniuria afficere, sed etiam in scientiarum existimationem infamiam quandam ac labem inducere videatur: rem totam diligentius examinare constitui, et quoquomodo oculis consilioque vestro subiicere; vt illud tandem de re grauissima iudicium feratis, quod contumelia propugnatoribus bonarum artium illata, quod ingenuis inusta disciplinis infamiae nota, quod deni-

denique ſapientia veſtra poſtulare videbitur. Illud itaque primo mature accurateque video mihi eſſe inquirendum, an reuera patrocinii penuriae debeat aequo iure tribui vulgaris ea ſtudiorum ratio doctrinaeque mediocritas, quam in multis noſtrorum hominum eſſe conſpicimus; cum tamen ipſi ea ingenii facultate ſint praediti, vt primum eruditionis locum ſibi vindicare potuiſſent. Deinde omnes induſtriae vires eo conferam, vt planum faciam, vnumquemque literatorum poſſe, ſi velit, ſibi ſtudiisque ſuis amplam conciliare fortunam. Quod quidem argumentum cum ſit huiusmodi, vt non modo ad amplificandam bonarum artium dignitatem accommodatum eſſe videatur, verum etiam commodum maximeque idoneum incitandis iuuenum animis praemiorum ſpe ad earundem bonarum artium ſtudia diligentius repetenda: profecto dubitari non poteſt, quin et illud clariſſimis iſtis diſciplinarum magiſtris ſummopere probetur; tum etiam vobis futurum ſit iucundiſſimum, ampliſſimi Patres, qui ad ſuſtinendam Romani huiusce Archigymnaſii exiſtimationem et nos per omnia humanitatis officia proſequi conſueuiſtis, et quantum in vobis eſt, in id enixe incumbitis, vt in dies bonarum artium ſplendor augeatur.

Acerba quidem ac permoleſta ſemper fuit eorum querela, qui in Maecenatum paucitatem mediocritatem bonarum artium omnino reiiciunt. Quorum inueterata opinio ne videatur, quaſi indicta cauſſa, a nobis velle damnari, eam vobis, quam breuiſſime potero, in hoc ipſo orationis aditu exponam. Quot ſunt, dictitant, hac noſtra aetate praeſtantiſſimi ingenio viri, qui prope ſummum ſcientiarum verticem attigiſſent, ſi ſtudioſum ac beneficum ducem hortatoremque ſibi aequa obtuliſſet fortuna? Eſſent nimirum noſtra quoque hac tempeſtate, qui cum ipſo Romanae eloquentiae anteſignano de doctrinae principatu dicendique facultate contenderent. Neque hodie deeſſent nobis, qui ſummis illis Poetarum magiſtris Terentio, Virgilio et Horatio diem indicerent, eosque quaſi verbo Praetoris de veteri gloriae poſſeſſione deturbarent. Enim vero vbi nunc principes illi viri, bonarum artium firmamenta doctrinaeque praeſidium, qui ad alendos ſuſtentandosque literarum cultores ab ipſis propemodum Gratiarum manibus facti eſſe videbantur? Innumeris quidem clariſſimis ac veluti primae magnitudinis luminibus literaria careret Respublica, niſi ſummo ſcientiarum bono ſuperiores

riores aetates patronos musarum munificentissimos attuliſſent. Nam neque Euripidem, aut Pindarum poetica, neque eloquentia Demoſthenem, aut Socratem philoſophia tantopere praedicaret, cum ii omnes tum propter infimum fortunae gradum, tum propter rei familiaris anguſtiam ad artem potius aliquam factitandam, quam ad literarum otium nati eſſe viderentur. Memoria quippe proditum eſt Euripidis matrem vitam vendendis oleribus toleraſſe; et quemadmodum tibicinis filium fuiſſe Pindarum, ita Socratem ex tenuiſſima obſtetrice procreatum accepimus. Quid vero de Demoſthene, qui fabrili genere ortus in obſcura ferramentorum officina a parentibus ſuſceptus fuit atque educatus? Quamobrem quae diuinis adeo ingeniis otia ſtudiorumque rationes pertenuis fortunae paternae cenſus denegauerat, iis cumulatiſſima ac plane regia donauit Maecenatum beneficentia. Etenim Macedoniae Rex, Archelaus Euripidem, Pindarum vero Hieron, Syracuſanus, aluit ſummaque liberalitate complexus fuit; ac ſicuti diuinum quoddam tutelae numen in praeclariſſimo Graecorum Imperatore Alcibiade inuenit Socrates, ita ſingulos Reipublicae Athenienſis ciues Stato-

rem quasi louem Demostheni fuisse non ignoramus.

Et quidem rei literariae hostem importunum, feralem acerbissimumque, domesticam egestatem esse non putet, qui minime videt, quot praeclara ingenia in dies conficiat exterminetque publicae, aut priuatae inopiae calamitas. Quis enim, cui res domi angustior sit, magnopere curet purioris latinitatis elegantias ex Plauto, vel Terentio seligere, aut Aequiponderantium leges cum Archimede, aut sectionum Conicarum acumina cum Apollonio contemplari, aut denique Democriti, seu Aristotelis opiniones inquirere? Acrior illi profecto inest solicitudo de minuenda rei familiaris difficultate, quam de excolenda augendaque eruditione; studiumque ponet vehementius in noua aliqua victus sibi comparandi ratione, quam in perscrutando ex antiquitatum ruderibus, quaenam fuerint Graecorum leges et instituta, quinam vetustissimi Vrbis huiusce ritus, mores atque consuetudines. Quotidiana siquidem ac permolesta alendae vitae cura, praeterquam quod meliorem diei partem de literaria contemplatione detrahit, illud etiam affert haud vulgaris incommodi, quod virum, honesto loco natum,

ita

ita commouet ac perturbat, vt deinceps optimarum artium ſtudio imparem ſe omnino ſentiat minimeque idoneum. Quod quidem malo didicit ſuo officina illa leporum atque elegantiarum Ouidius, quem promptiori ad carmina ingenio, quam vnumquemque noſtrum ad verba adeo fuiſſe legimus, vt vel eius ore muſae, vel ipſe muſarum ore loqui putaretur. Is enim vbi primum amandatus in Pontum egeſtatem afflictaeque domus praeſenſit calamitatem, ſe ſtatim non tam Diis patribus, fortunis, coniuge liberisque deſtitutum, quam ingenio ac diuina illa mentis vbertate exhauſtum confectumque ingemuit; cum ne meditatione quidem diuturnoque ſtudio ea conſequi poſſet, quae antea ſponte ſua ac propemodum ipſo inuito effluere videbantur. Quod ſane admirationi tantum iis eſſe poterit, qui non intelligant, eam eſſe ſtudiorum naturam, vt animum ſibi ab omni perturbatione vacuum maximeque tranquillum poſtulent. Neque alia de cauſſa crediderim veteres in edito monte muſis domicilium poſuiſſe, quam quo clarius ſignificarent, ſupra omnem curarum aleam illos eſſe oportere, qui optimis diſciplinis ſolenne dixiſſent ſacramentum. Quo pacto igitur ſtudiis praeſtantioribus ii

operam nauent, qui perpetuis curarum iactantur fluctibus, neque vllam habent, in quam se recipiant, quietis ac tranquillitatis stationem? Qua ratione ea ipsa studia, quae primis veluti lineamentis ac rudi penicillo leuiter adumbrauerant, aliquando absoluant atque perficiant, nisi possint horam exiguam per honestissimum otium traducere?

At vero dubia hic vestrum ora haud obscure illud indicare videntur: esse nimirum in hac Vrbe totaque Italia innumeros paene viros, qui cum non minus praestantissimum a natura ingenium, quam opulentas a maioribus suis facultates otiumque acceperint, singularis tamen doctrinae laude supra vulgus haudquaquam excellant. Praeterea plura hodie in tot religiosis familiis, quam olim Athenis, scientiarum patere lycea, quae hominibus ingenio pollentibus literarum otium solitudinemque praebeant abundantissime. Immerito igitur domesticae difficultati, aut Maecenatum penuriae vertitur, si plerique eorum, qui primos in literis ordines ducere potuissent, gregarios inter milites agant. Ac propterea quod illi mediocriter eruditi, quod semidocti in literatorum plebe numerentur, eorum profecto vitio dandum, quod ad alta

nati

nati humi repere malint, et excellentius quicquam audere cum possint, minime curent. Quid? minime curent? Equidem curarent, opinor, si propositis praemiis, ac veluti sublato ad meliora sperandum signo, cohortarentur et ad studia sua diligentius expolienda, ac magis accurate cogitateque limanda inflammarentur. Quemadmodum enim Miltiadis Imperatoris tropaea Themistoclem ad praeclara facinora e somno excitarunt; ita innumeros fere homines per hosce dies videremus, qui veterno excusso, pro aris focisque decertaturi in arenam summa literarum gloria descenderent. Verum si quis forte in ea opinione versetur, quod ad promouendam doctrinae laudem satis superque sit hominibus ingenii vim, quietem otiumque suppetere, praemiorumque spe nulla optimas disciplinas ali posse atque augeri; is plane studiorum indolem doctrinaeque naturam minime nouit. Neque enim scientiarum iter tam planum, aut ita violis rosisque consitum esse quisquam prudens existimauerit, vt illud percurrentibus nulla reluctetur difficultas nullusque labor. Quocirca vos, Patres amplissimi, et quotquot hic adestis bonarum artium aut assectae, aut professores, testes appello. Vos

quippe diuturno didiciſtis experimento, quam negotioſam grauiſſimamque prouinciam is ſubeat, cui in liberali aliqua facultate principatus tenendi cupiditas innaſcitur. Praetereo ſiquidem omittendas eſſe, vt admonet diſerte M. Tullius, voluptates omnes; et non modo ludum, iocum atque conuiuium, verum etiam ſermonem ipſum omnium paene familiarium deſerendum. Praetereo, illa eadem delectationis ſtudia relinqui oportere, quae cum naturalem quandam cum ingenio cognationem atque affinitatem habeant, ſi deſerantur, maximum et incredibile ſui creant deſiderium. Mitto, inquam, haec omnia tanquam nullius, aut perexigui putarentur eſſe momenti. At quis non intelligat, quot annos ad primas doctrinae laudes conſequendas in literario puluere vehementer enixeque ſit deſudandum? Quot labores moleſti ac difficiles ineundi? Quot dies noctesque permagno valetudinis incommodo ſummoque etiam nonnunquam vitae diſcrimine libris rerumque contemplationi inhaerendum? Nam quae tam firma corporis valetudo, aut tantus animi vigor, quem pertinax ſtudiorum contentio paulatim infringere non ſoleat atque omnino labefactare? Dubitari plane non pot-

eſt,

est, quin ex ipsa studiorum assiduitate importuni saepe ac maxime periculosi procreentur morbi, qui aut vitae curriculum intercipiant, aut vires tam grauiter conficiant, vt cum iisdem ad extremum vsque spiritum necesse sit misere colluctari. Quod igitur non solum maximis laboribus, sed etiam dura corporis afflictatione summoque capitis periculo comparari debet, tametsi in eo honestas sit plurima, raro homines, praemio nullo proposito, persequuntur. Quinimo plerique ab ipso prorsus abhorrent, quod scilicet vitam, qua mortalibus nihil potest esse iucundius, ea viuendi consuetudine perditum iri intelligant.

Satis igitur opportune Romana Respublica tot tantisque honoribus ampliſſimisque praemiis rei militaris studium cumulauit, vt in illis summatim et quasi compendio recensendis Alexander ab Alexandro, Rosinus, Lipsius, Graeuius aliique complures integra paene volumina confecerint. Nouerant quippe sapientissimi viri ad eiusmodi vitae genus laboris maxime plenum ac periculi, nisi hominum praemiorum nouitate ac magnitudine allicerentur, perpaucos fore, qui tam grauem ac periculosam viuendi rationem pro salute

ciuium, aut sola gloriae cupiditate susceperent. Cum itaque literarum studia diuturnitate laborum militarem disciplinam facile superent; neque minus ex hac domestica et vmbratili studiorum exercitatione ac pugna, quam ex hostium medio agmine sit capite periclitandum, mirum non est, si fere nemo reperiatur, qui sola gloriae spe nulloque praemio ductus tam difficilem ac plenam aleae prouinciam subeat. Fuit, fuit quondam ista in literaria Republica virtus, vt pro literis homines non modo bona, fortunas ac patriam, sed ipsam quoque vitam, si opus esset, constantissime offerrent; neque aliud praemium, quam doctrinae laudem, aut praeclaram quampiam veritatis notitiam quaererent. At relanguit iampridem vetus ille studiorum ardor gloriaeque cupiditas, quam nisi tempestiue Maecenatum beneficentia excitet atque inflammet, de literis actum erit omnino. Quapropter quod ipsae nunc apud exteras nationes, vbi olim in sordibus situque iacuerant, potissimum vigeant, quod mirum in modum efflorescant, id sane singularis munificentia praestitit potentissimorum Principum, qui, vel inter diuturnos bellorum strepitus, et quotidianas armorum solicitudines, optimas disci-

plinas

plinas ali ac foueri posse, raro quodam liberalitatis exemplo, demonstrarunt. Quamobrem nisi veterem Italiae gloriam cum exteris gentibus in contentionem literariae existimationis vocare iniquum esse videretur, aut me, hominem in Italia natum, eas ipsis doctrinae primas, quas illae sibi arrogantius fortasse tribuunt, vltro velle permittere; hic iam in medio proponerem, quousque apud illas regiae beneficentiae cumulus bonarum artium fortunam amplificauerit, et ad summum prope honoris gradum euexerit. Nullam quidem ex ingenuis artibus scientiarumque ordine esse videretis, quae noua aliqua gloriae accessione non prodiret ornatior longeque illustrior. Videretis Ecclesiasticam historiam antiquis expiatam anachronismis dubiisque locorum anfractibus expeditam ad exactissimas Chronologiae leges ac Geographiae normam optime restitutam. Videretis Theologiae maiestatem iam inanium quarundam quaestionum labe vindicatam, ac Sanctorum Patrum praesidio ita communitam, vt deinceps bacchanti hostium audaciae non sophistarum nugas, sed sanctissimorum hominum religionem, non leuium syllogismorum ratiunculas, sed solidam Catholicae veritatis doctri-

doctrinam opponat. Quid vero Geometriam, quid Analyticam, Mechanicam, Astronomiam ceterasque Mathematicas disciplinas, quas omnes eo amplitudinis euectas esse prospiceretis, vt audeant iam ad veterem Graeciae gloriam prouocare? Quid multiiugem Romanarum Graecarumque antiquitatum eruditionem, Critices studium ac paene omnium notionem linguarum? Et quidem earundem omnium bonarum artium hanc vnam esse vocem audiretis orationemque communem: Quod nos, vetustatis squalore posito, splendidiorem faciem viuidioremque consequutae simus, quod tot tantisque auctae ornamentis ad maximum et vix optandum dignitatis fastigium peruenerimus; id non tam cedit in laudem doctissimorum hominum, qui nos multo labore multisque suis vigiliis expolire et elegantius ornare conati sunt, quam singularis beneficentiae nostrorum Principum, qui ampliſſima dona in literatorum sinum largiori manu effuderunt. Horum sane liberalitas clariſſimos vndique profeſſores exciuit, qui nos iacentes erigerent erectasque magnificentius exornarent. Horum beneficio acceptum referimus domicilium, quo nos extorres egentesque perbenigne receptae sumus. Horum largi-

largitati opes, fortunas, honores: horum ſtudio. Sed ſatis, iam ſatis. Hactenus enim, Auditores, non tam mea, quam eorum, qui bonarum artium mediocritatem Maecenatum crimini vertunt, vetus ac permoleſta fuit oratio. Quae cum meliorem partem temporis eius, quod mihi definitum fuerat ad dicendum, ſurripuerit; video iam me iis premi anguſtiis, vt, ne diutius abuti videar patientia veſtra, eorum, quae initio dicenda mihi poſueram, neceſſario compendium faciam. Illud itaque primum contendo in hac Vrbe, praecipua bonarum artium ſede, huiuscemodi querimoniae locum nequaquam poſſe patere. Si quis enim ea eſſet audacia, vt aſſereret, vllo vnquam tempore in Vrbe Roma defuiſſe certiſſimos munificentiſſimosque literarum fautores, hunc impudentiae ac mendacii grauiter coarguerent haec ipſa ſaxa ac parietes, qui ſummam Leonis X. beneficentiam erga optimas diſciplinas teſtatam maxime faciunt; atque omni poſteritatis memoriae praedicant, Leonem X. ad perpetuum literarum ornamentum Romanum hoc Archigymnaſium inſtauraſſe, ac bonarum artium magiſtris perampla decreuiſſe ſtipendia. Deinde etiam, reliquorum Summorum Pontificum ſerie

rie ducta, nullo negotio demonſtraretur, Romae literas potius deeſſe potuiſſe, quam literis patrocinia. Quis enim, vt antiquiores aetates miſſas faciam, Gregorios, Vrbanos, Alexandros, Clementes, Innocentios, Pontifices Maximos, memoria repetat, qui in illis praeſidium ac firmiſſimum propugnaculum literas habuiſſe non videat? Quid vero nunc de Clemente XI. Pontifice ſapientiſſimo ac bonarum omnium artium amantiſſimo? De quo in hac re praeſertim tametſi, vt de Carthagine ait Salluſtius, tacere ſatius ſit, quam pauca dicere, nemini tamen veſtrum obſcurum eſſe arbitror, illum tam bene de optimis diſciplinis iam eſſe meritum, vt quas aliorum Summorum Pontificum immortalitati ſtatuas, ſigna ac monumenta in Capitolio ceterisque publicis in locis Senatus Populusque Romanus poſuit; vel quod illi elegantiorem Vrbi formam induxerint atque ampliorem, vel quod veteres obeliſcos, aut marmoreas columnas ad eam ornandam erexerint, vel tandem quod vberrimis aliunde deriuatis aquis, non tam fontes, quam flumina in Vrbem commode inuexerint; eae omnes Clementi XI. cum iis nominibus, tum maxime literarum titulo, tanquam literarum earundem

lite-

literatorumque parenti beneficentiſſimo excitandae eſſe videantur. Etenim quaenam opes, qui honores, qui magiſtratus, aut quae dignitas in Vrbe fuit, quam a ſtudioſiſſimo literatorum Principe conſequi non potuerit qualiscunque honeſtiſſimam bonarum artium commendationem cum integritate morum coniunctam prae ſe ferret, etiamſi homo exterus ac tranſalpinus hoſpes Romam aduenisſet? Quocirca illud ſatis ſit dicere, quod Purpuram ipſam, maximum ac ſingulare Pontificiae amplitudinis praemium, eloquentiae ac doctrinae venalem fuiſſe expoſitam vidimus.

Quae cum ita ſint, Auditores, ſupereſt iam, vt eo, quo altera orationis pars ſponte ſua vergere videtur, animum intendatis, dum breuiſſime doceam, quonam pacto vnusquisque literatorum ſibimet ſtudiorum ſuorum comparare poſſit vindicem ac patronum. Quod quidem ſtatuo nemini fore difficile, ſi labore induſtriaque conetur doctrina ac literis inter ceteros eminere. Sit enim quispiam latini ſermonis elegantia politus, aut ſingulari dicendi facultate ornatus, ſeu mathematico in puluere egregie verſatus, hunc procul dubio principes viri honore proſequi, hunc ciuita-

tes

tes publica quasi legatione accersere, hunc reges maximis praemiis ad se pertrahere summo studio ac voluntate certabunt. Quod sane argumentum non modo antiquioribus repetitis exemplis, verum etiam recentissimis rebus planum omnino facere possem, nisi aut doctissimorum hominum amicitiae nimis tribuere, aut eorum existimationi de industria blandiri velle viderer. At quos tandem quaeso literatorum prae ceteris maiores nostri fouere, summoque loco habere consueuerunt, nisi eos tantum, qui ingenio doctrinaque magnopere excellerent? Platonem quidem tantam a Dionysio Syracusano gratiam iniisse compertum est, vt ei, Syracusas aduenienti, non solum Rex idem obuiam ierit, sed etiam regali rheda, cuius Rex ipse moderabatur habenas, exceperit, ac triumphali plausu ingentique populi acclamatione in vrbem aduexerit. An Cliniae, an Tymaeo, aut Philolao aliisque sexcentis, qui per illud tempus in maxima frequentia erant philosophi, obuium se dedit Dionysius, curru recepit suo, et ad ampliorem triumphi celebritatem idem ipse regio paludamento ornatus aurigam egit? Tanta profecto honoris amplitudo nequaquam iis defertur, qui philoso-

phan-

phantur in triuiis, aut barba tenus philoſophi, vt ait M. Tullius, exiſtimantur; ſed illis ſine controuerſia debetur, qui optimarum rerum cognitione atque exercitatione philoſophi perſonam grauiſſime ſuſtinent. Vnus itaque Plato honorificentiſſime excipitur, vnus opibus fortunisque a Syracuſano Rege cumulatur, quod vnus inter ceteros praeſtantiori doctrina caput extollat, quod vnus ingenii ac philoſophiae princeps, quod denique vnus tantam ſibi apud omnes conciliauerit auctoritatem, vt ipſe Romanus orator cum Platone errare, quam cum aliis philoſophis vera ſentire maluiſſet. At fortaſſe id temere factum, et ad Platonis fortunam plus habuit momenti libido Principis et arbitrium, quam ſapientiae ſingularis praerogatiua. Ac proinde quod quispiam, quemadmodum Plato, aliquem ſtudiorum ſuorum vindicem habeat liberaliſſimum, id non tam doctrinae conditioni, quam praeclaro fortunae beneficio tribuat neceſſe eſt. Ita ne vero? At Reipublicae literariae annales diligentius euoluant, qui hoc modo ratiocinantur. Id vnum aetatum omnium conſenſu atque auctoritate firmatum inuenient, eos videlicet tantum gratia ac liberalitate Principum floruiſſe, qui

non litus legere, sed in altum disciplinarum prouehi minime dubitauerint. Heroicis enim illis bonarum artium temporibus, in quibus cum eaedem insigniter vigerent, tanta quoque erat philosophorum poetarumque copia, vt sicuti exercitus in legiones et cohortes, ita illi in sectas ordinesque diuiderentur, eos duntaxat apud primarios viros omni humanitatis officio receptos fuisse accepimus, qui earundem bonarum artium haberentur instar imperatorum. Patebat quidem Caesaris Augusti domus clarissimis poetarum ducibus Publ. Virgilio et Q. Horatio, quam tamen Chaerilis et Cluuienis aliisque eius notae versificatoribus patuisse non legimus. Cum illis scilicet, quod et acumine ingenii et elegantia styli ceteris palmam eripuissent, humanissimi Principis familiaritas omnis erat atque coniunctio: eorum aspectu, sermone atque consuetudine frequentissime recreabatur.

At piget me tandiu exemplis huiusmodi esse immoratum, qui rem ipsam statim oculis subiicere quodammodo potuissem. Quid quaeso est, Auditores, quod ex popularibus hisce artibus ea ipsa, quae aliis fructus insi-

Sächsische Landesbibliothek – Staats- und Universitätsbibliothek Dresden http://digital.slub-dresden.de/id368268268/104 gefördert von der Deutschen Forschungsgemeinschaft DFG

insignes contulit, eadem aliis decoquere soleat nulloque esse adiumento? Nam quotidie videmus nonnullos caelandi, aut pingendi studio haud mediocres sibi fortunas comparasse, quibus artibus alii vix tantum pecuniae trahant, quantum tolerandae quoquomodo vitae sit satis. Nonne discrimen hoc ex eo potissimum ducitur, quod cum illi praeclari castigatique opifices, hi contra mediocriter in ea facultate versati esse existimentur, si quod affabre accurateque elaborandum sit opus, reiiciuntur hi, inuitantur illi, ac perhonorifica mercede proposita conducuntur? Studiosos itaque sui ac paene dixerim Maecenates habent caelandi, aut pingendi artes, modo eae vulgares nequaquam esse censeantur. Vtilitatis afferunt plurimum, non inficior; sed iis tamen, qui ingenio industriaque ad earundem artium principes propius accesserint. Praeterea florentissimae illae duae artes, Medicina ac Iurisprudentia, in quibus prae ceteris omnibus, vt sermo communis inualuit, opes maximas atque honores fortuna collocasse creditur, an tales sunt, vt earum praesidio homines honori opibusque feliciter velificentur, tam-

etsi iisdem leuiter tincti nullum sibi nomen existimationemque confecerint ? Fautores certe non habent plurimos, qui aegrotos medicaminibus, aut qui legum formulis iugulant patrimonia. Verum qui in istiusmodi facultatibus praestantissimi recensentur, eos gratiam inire auctoritatemque, apud optimates sibi conciliare videmus, eosque ad amplificandas fortunae copias, aut ad honores maximos consequendos viam sibi munire expeditissimam. In quo quidem orationi meae firmiorem, quam opus sit, fidem complures, quos hic video esse, viri clarissimi exemplo suo satis commode faciunt. Quemadmodum igitur quod eius generis artes nonnullis fructuosae non sint, imo potius iacentes ac steriles, impudentia singularis esset, id non tam professorum mediocritati, quam earundem artium vitio, aut iniquissimae temporum conditioni tribuere ; ita fere intolerabilis videtur esse eorum audacia, qui ex leui quadam literarum vmbra cum neque opes, neque fortunas trahere potuerint, literas ipsas iacere clamitant, nullosque per hosce dies inueniri bonarum artium patronos, nulla supereſſe studiorum praemia.

At

At definant tandem aliquando, definant per Deum immortalem tam impudenter ac stulte conqueri. Ipsi profecto iacent, non artes. Ipsis vtpote feriatis remissisque ingeniis desunt semperque deerunt patrocinia, nunquam vero strenuis literarum cultoribus. Praemia nulla extant; sed ipsis mehercule nulla, qui oscitantes ea consequi neque labore, neque industria conantur. Excellendum est itaque praestantiori disciplinarum studio, excellendum: tum vero deesse non poterunt praemia, neque fautores munificentissimi; cum minime defuerint in hac Vrbe, vt recentiores consulto praeteream, Francisco Philelpho, Pomponio Laeto, Iano Parrhasio, M. Antonio Mureto sexcentisque aliis, primariae eruditionis viris, qui egregia quapiam doctrinae laude floruissent; cum memoriae traditum sit eundem Muretum Romae ad politioris literaturae et eloquentiae ornamentum annuo fuisse mille aureorum stipendio Gregorii XIII. liberalitate donatum. Non defuerunt, inquam, non solum ingentes opes, sed etiam ampliſſimae dignitatis splendor Petro Bembo, Iacobo Sadoleto, Guilielmo Sirleto, Caesari Baronio, Ro-

berto Bellarmino aliisque quamplurimis; qui quandoquidem eruditionis ac doctrinae praestantia se supra ceteros extulissent, Summorum Pontificum prouidentia, sedula semper meritorum indagatrix, fecit, vt dignitatis quoque amplitudine ac purpura supra ceteros eminerent.

Quae cum ita se habeant, vos iam probe intelligitis, Adolescentes optimi, quousque vestra ducenda sint studia, quo aetatis, quo induſtriae neruos intendere oporteat, vt studiorum fructus feratis locupletissimos atque pulcherrimos. Non vulgaris doctrinae ratio, non popularis quaedam mediocritas, sed summus scientiarum apex fortiter est attentandus, si optimas disciplinas maximo vobis vsui et ornamento esse velitis. Quamobrem ne patiamini ab susceptо studiorum cursu deduci, aut saltem induſtriam vestram retardari ex perniciosis eorum sermonibus, qui vulgato quasi prouerbio dictitant, iam bonarum artium studia profligata esse ac prope deposita, quod neque sint hac nostra aetate literarum praesidia, neque vlla vt olim proposita musis praemia. Contemnite, obsecro, ac pro nihilo ducite querelas

eius-

eiusmodi inanesque clamores. Sunt equidem Romae, sunt maxima literarum praemia, sunt studiorum fautores propugnatoresque grauissimi, neque defuerunt vnquam: et si antea defuissent, certe Clemente XI. Pont. Max. non deerunt; qui cum sit et omni doctrinae genere cumulatissimus, et tot iam tantisque argumentis voluntatem suam in bonarum artium studia significauerit, omnem vobis profecto dubitandi locum eripuit, quin Romae ad opes, ad magistratus, ad imperia, ad purpuram etiam ipsam innocentia vitae ac doctrinae nobilitate assequendam aditus vniuersis pateat ampliſſimus. Cum igitur tam liberum vnicuique vestrum sit beneficentissimi Principis animum promereri, quam literis et eruditione excellere; iam plane cognoscitis, Maecenates vobis minime defuturos, nisi per otium inertiamque vobis vos ipsi defueritis. Quod quidem eo grauius esset reprehendendum, quo maior est horum clarissimorum diligentia professorum, quorum labores in hoc Romano lyceo vtilitati vestrae seruiunt, quorum conatus omnes, vigiliae ac studia ad vos ornandos erudiendosque

maxime referuntur. Vestrum igitur sit, pari animi cura ac diligentia efficere, vt eorundem labori industriaeque maximus in vobis vberrimusque fructus respondeat; atque hinc ea consequi possitis digniſſima praemia, quae vobis non minus Romani Pontificis beneficentia, quam doctrinae amplitudo ac praestantia pollicentur.

DE

DE

LAVDIBVS LEONIS X.

IN

ANNIVERSARIIS EIVS

PARENTALIBVS

ORATIO III.

HABITA VII. IDVS FEBRVARII

AN. M DCC XIV.

Sanctissimo Domino Nostro

CLEMENTI XI. PONT. OPT. MAX.

Paulinus a S. Iosepho Scholarum Piarum.

TANTVM *abest, vt conquirendae sint causſae, cur tuo potissimum nomini,* CLEMENS, *Pontifex Maxime, hanc Orationem inscribam, vt potius siue argumenti magnitudo, siue loci, vbi habita est, dignitas spectetur, ea iure suo omnino ad te pertinere videatur. Beneficentiam quippe illam et amorem erga bonarum artium studia plane singularem, quem in Leone* X. *suspeximus et admirati sumus, ecquis in te pariter maximum et flagrantissimum esse non videat? Neminem profecto latet, optimas disciplinas per omnem tibi aetatem vsque eo a prima pueritia in deliciis fuisse et amoribus, vt deinde in omni fortunae gradu iis magis semper quam tibimet vixisse videaris. Itaque non est, cur iniremur, quod hoc ipsum Romanum Archigymnasium, perantiquum bonarum artium domicilium, tam sapienter splendide-*

que

que a Leone X. instauratum, a te eximie diligi tibique praecipue cordi esse intelligimus. Quinetiam, si per summam turbulentissimorum temporum difficultatem id licuerit, aliquando fore speramus, vt quam olim in amplissimo hoc loco sub Leone consequutae fuerunt optimae artes celebritatem, ea, te Pontifice, deesse nullo modo possit. Quod plane efficies, si ea ipsa, quae ad sempiternam Academiae huius dignitatem praesidiumque Leo sapientissime decreuit, quaeque iam nonnihil temporum vicissitudo immutauit, pristino iuri restituas. Hinc enim erit, vt quae per Orbem vniuersum latissimae Archigymnasii huius peruagata est fama, sub literatissimo Principe maxime vigeat; neque sit, cur Leonis aetati, quae aurea literarum aetas fuisse dicitur, nostris hisce temporibus quisquam inuideat. Quod profecto si semel eueniat, quibus tum laudibus nomen tuum ad caelum efferemus? Quas immortales gratias haec tibi nostra Academia publica auctoritate quotannis persoluendas statuet? Sed vt vt haec sint, ego is plane non sum, qui ventura tempora recentioresque caussas consectari debeam, propter quas me tibi quam maxime obstrictum esse profitear. Tot iam praeclara in me meritorum tuorum suppetunt argu-

argumenta, vt ingratus omnino essem atque immemor, nisi ea, quae acceperim, quanti a me facienda sint, satis agnoscerem, idque aliqua saltem significatione testarer. Quorum vero praecipue beneficiorum nomine? Eorumne, quibus nostrum Scholarum Piarum Ordinem tam liberaliter cumulasti tot praesertim Seminariis, aut Collegiis, Albae, Cortonae, Rheatae, Amalphi, Vrbini beneficentia tua insigniter amplificatum? Magna quidem sunt haec ac sane digna, vt noster ipse Scholarum Piarum Ordo vniuersus te parentem beneficentissimum perpetuo et agnoscat et colat et veneretur. Cum tamen mihi cum nostratibus omnibus communia ea sint, non tam priuati vnius hominis, quam commune omnium exigunt grati animi monumentum. An igitur beneficii eius quod proprium est, nomine gratias agam, quod videlicet perhonorificam mihi eloquentiae in hoc Romano Archigymnasio prouinciam dederis, ac me nominis prope nullius hominem ad summam huiusce loci celebritatem euexeris? Id certe, siue ingenii mei mediocritas siue loci huius, qui eloquentissimo cuique semper patuit, amplitudo spectetur, maius est, quam tibi vnquam pares pro beneficio gratias agere possim. Longe tamen maius est aliquid, quod splen-

ſplendore ſuo cetera obruit, et quod mihi maximi ac praecipui beneficii loco ſemper erit, diligentiae ſcilicet induſtriaeque meae demandaſſe ornatiſſimum et ad virtutis indolem plane factum iuuenem, fratris tui filium, ALEXANDRVM, *vt in bonarum artium ſtudio ei quaſi manu facem praeferrem, et commonſtrarem viam, qua per ſumma quaeque virtutis maiorum ſuorum veſtigiis inſiſteret. Id certe tanti apud me eſt, vt ceteris omnibus, quaecunque illa ſint, beneficiis tuis ſilentio praetermiſſis, hoc vnum potiſſimum eſſe cenſeam, atque hoc tantum vno me gratum ac memorem eſſe maxime cupiam. Etenim cum non deeſſent homines, ingenii et eruditionis fama praeſtantes, qui ad hoc munus obeundum impenſe ſtudium atque operam profitebantur ſuam, ea tamen fuit tua humanitas, vt me militem quaſi gregarium iis praeferri velles, qui primos in literis ordines ducere videbantur. Quamuis autem non ita me ignorem, vt id mihi tribuam, et non tuae potius humanitati, quam tenuitati meae acceptum ferendum eſſe videam; malui tamen tam praeclari commemoratione beneficii modeſtiam meam in ſuſpicionem vocari, quam ingrati animi notam mihi eius ſilentio inuri. Quia vero id ſatis eſſe*

nullo

nullo modo potest, vt aliqua saltem ex parte huiusmodi beneficentiae respondeam, si nulla alia re, at certe industria ac diligentia operam dabo, vt studiorum cursum, multa iam cum laude susceptum, clarissimus idem Iuuenis ita aliquando absoluat perficiatque, vt tua de me iudicia sustineat; atque ipse perpetuum extet tibi memoris gratique animi mei monumer m.

SI

SI vllo vnquam tempore Vrbem hanc ingenti luctu ac moerore propemodum incredibili concidiſſe putauerim, vt plangor in tectis, in templis aetatum omnium concurſus, ſilentium in curia, vaſtitas et ſolitudo in foro, vbique moeſtiſſima rerum facies obuerſaretur; tunc, opinor, fuit, cum importunus et vniuerſo populo Romano grauiſſimus rumor percrebuit, Leonem X. Pontificem Optimum Maximum, bonorum omnium votis ac publicae incolumitati repente immatureque fuiſſe praereptum. O diem bonis omnibus funeſtiſſimum! (is, puto, vnus omnium erat gemitus ac comploratio) O acerbiſſimam et vix plane ferendam calamitatem! O nos miſerrimos, qui paſtorem vigilantiſſimum, qui liberaliſſimum Principem, qui parentem optimum amiſimus, qualem neque noſtra, aut parentum aetas tulit, neque literarum monumentis vlla vnquam effinxit antiquitas! Quid enim excogitari poterat in terris tanti Principis maieſtate auguſtius, quid magnificentius, quid ad gloriam laudemque optabilius? Quanquam non aetas, non ſexus, non ordo vllus eſt, qui lacrymas poſſit ac doloris impetum coercere, fruſtra tamen immenſum publici parentis deſiderium

atque

atque enormis iacturae casum, doloris magnitudine exaequari posse speramus, cum hoc vno in funere non modo Europae lumen ingens, sed vniuersae Christianae Reipublicae splendor quam maximus fuerit extinctus. At vero, in tanto tum priuato, tum publico populi Romani luctu qualis, aut quanta esset lamentatio fletusque bonarum artium, cogitatione potius percipi potest, quam satis verbis et oratione comprehendi. Quemadmodum enim liberalissimi Pontificis beneficentia, etsi erga omnes maxima, in optimas tamen disciplinas singularis prope fuerat atque incredibilis; ita nihil illis contingere potuisset acerbius, ac maiori lacrymarum contentione defiendum, quam inopinato importuneque eodem ipso Principe orbari, quem vnum sibimet ab interitu vindicandis reuocandisque ad pristinum gloriae fastigium quasi caelitus demissum acceperant ac venerabantur. Quamobrem singulae, mutata veste, squalore sordibusque moerentes, communis Parentis exequias prosequutae, diu multumque fleuere. Quid, inquam, fleuere? Imo adhuc hodierno die solenni funeris huius instauratione defient iacturam Principis immortalitate dignissimi; institutaque quotannis funebri laudatio-

ne

ne ampliſſimas eius laudes beneficiorumque magnitudinem ad gratam poſterorum memoriam traducere ſummo ſtudio ac voluntate contendunt. Cui quidem grauiſſimo muneri cum ſaepe alias robuſtioris eloquentiae viri ſeſe impares experti fuerint; quid ego conſilii capiam, qui nunc potiſſimum de ipſis Leonis X. laudibus ad dicendum ſurrexerim, cum neque aetate, neque ingenio, neque auctoritate ſim cum his, qui ſedeant, vllo pacto comparandus? Verum cum in hac ſemper opinione fuiſſem, inter tot tantasque ipſius Leonis virtutes nullam omnino reperiri, quae ſublimi eloquentiae apparatu indigeret ornari, ſed ſatis ſuperque eſſe, vt earum magnitudo in ſui admirationem omnium erigeret animos, illas quaſi nudas in medio proponere; hinc eſt, vt minus neceſſariam, aut ideneam hac in re eloquentiam futuram eſſe putauerim, cum Geometria potius ad ipſarum magnitudinem rerum dimetiendam accommodatior eſſe videretur. Veniam itaque dabitis, Auditores, ſi cum ea ipſa, quae neceſſario mihi ſuſtinenda eſt oratoris perſona, geometrae quoque partes ſuſcepero. Ad hoc enim me, non tam ea, quam mihi ab ineunte aetate Geometriae ipſius ſtudium attulit,

delectatio impellit, quam noua quaedam et inusitata magnitudo virtutum, quae specie plane insolita vim omnem superant eloquentiae. Hae vero tametsi in Leone plurimae sint, et omnes de principatu inter se certare videantur, illud tamen, de quo nos praecipue huius amplitudo loci et communis officii ratio opportune admonent, et quod, nobis tacentibus, haec ipsa saxa ac parietes quodammodo praedicant, illud, inquam, est Romani huiusce Archigymnasii egregium ac prope diuinum opus. Quo quidem sapientissimus Pontifex non modo apud populum Romanum, sed apud exteras quoque nationes sibi nominis immortalitatem comparauit. Ad hoc igitur vnum tam praeclarum ac maximum Leonis X. beneficium, quantum et angustia temporis et ingenii mediocritas patitur, accurate designandum et quasi per partes explicandum aggrediar. Cuius, vt tota quanta est, luculentius magnitudo dignoscatur, longitudinem in eo, latitudinem ac profundum perscrutari et quodammodo dimetiri conabor. Vt nimirum celeberrima hac triplici Geometriae dimensione, ex qua rei cuiuslibet magnitudo desumitur, tum vos, Patres amplissimi, tum populus Romanus, tum exte-

exterae gentes intelligant, quam magnum ex omni parte illud sit, quod a Leone X. in hoc vno beneficio acceperint, et quantum pro hoc ipso ab omnibus ei potissimum debeatur.

Nemo tamen sit, qui in praeceptis institutisque Philosophiae adeo me nouum putet ac rudem, vt nondum satis perceperim, quid intercedat discriminis inter magnitudinem molis atque virtutis. Quamobrem temere et inani quodam conatu ad Geometriae normam et regulam ea dirigere velim, quae cum partibus dimetiendis reuera careant, in longum, latum, aut profundum magna esse, aut dici minime possunt. Noui profecto, noui aliam esse virtutis mensuram; neque vnquam ex circini ratione clarissimorum hominum magnitudinem desumendam esse putaui. Quia vero habet quoque sua spatia virtus; et nonnunquam rerum gestarum magnitudine ita excrescit, atque in amplitudinem extenditur, vt longitudinis, latitudinis ac profundi aliquod prae se ferat argumentum; cui alienum et virtutis ipsius naturae parum consentaneum esse videatur, ad geometricam normam eam, quam nobis exhibet virtus, magnitudinem quodammodo reuocare? Ma-

gnum itaque ſiue in longum, ſiue in latum, ſiue in profundum illud contemplari libeat, fuiſſe, dico, Leonis X. beneficium, Romano hoc Archigymnaſio tam ſapienter ſplendideque reſtituto. Ab eo tamen, quod geometrico more poſtremo loco deberet inquiri, exordium video neceſſario mihi eſſe ducendum. Non enim tam facile de reliqua tanti operis magnitudine diiudicari poſſet, niſi primo, quod quantumque in eo ſit profundum, liquido appareat. Profecto nonnullis, qui per hos dies hoc ipſum Archigymnaſium extrinſecus longeque circumſpiciunt, illud euenire ſolet, quod pueris, tum etiam imperitis hominibus, dum oculos in ſolem, aut ſidera coniiciunt, quotidie euenit. Cum enim neque ſenſu, neque ſcientia percipiant, quam vaſtum ac profundum illud ſit ſpatium, quo clariſſima eadem caeli lumina a nobis longiſſime diſtant, inepte prorſus ſtulteque de eorum magnitudine ac mole ratiocinantur. Neque enim in animum ſibi inducere vllo pacto poſſunt, compluribus ſtellarum globis terrae magnitudinem vinci; aut plusquam millies et ſeptingenties, imo plusquam viginti ſepties millies ſolem eſſe terra maiorem. Quod tamen ex accuratiori recentiſſimo-

simorum astronomorum industria ac calculo satis liquido constat. Haud dissimili fere ratione non desunt, qui tam praeclari operis magnitudinem capere, aut complecti animo nequeunt: imo vero de illo impudenter ac temere differunt, quod quam profundum fuerit huiusce rei institutum, minime intelligant. Quod certe intelligerent, si eorum temporum, non tam annalibus, quam luctuosa malorum, quae tunc nobis imminebant, iliade sibi proposita, animaduerterent, in qua rerum fortuna clarissimi huius imperii dignitas, Romanae Ecclesiae iura ac Christianae totius Reipublicae salus versaretur. Viderent scilicet tristissimam Italiae faciem, vndequaque fulgore armorum ac strepitu perturbatam. Viderent disseminatas multis in locis perditissimorum hominum opiniones, prouincias ab auctoritate Romani Pontificis improbe discedentes, surgentes vndique ac per omnia propemodum Christiani nominis regna peruadentes impiorum dogmatum pestes; vnoque verbo, res nostras in illud adductas fuisse discrimen, vt non iam de proferendis imperii finibus, sed de Italiae ipsius possessione, de nostris hisce aris focisque certaretur. Quid igitur consilii Leo X. capien-

dum sibi esse duceret, qui in maximis eiusmodi turbinibus ac periculosis fluctibus Ecclesiae nauim gubernaret? Quam salubriorem, aut probatam magis tam multis grauissimisque vulneribus medicinam afferret? Nulla profecto visa fuit opportunior, quam bonas artes vbique tunc fere iacentes erigere. Hanc vnam proximam et quasi compendiariam censuit fore viam ad tuendam templorum religionem et Ecclesiae dignitatem vindicandam: his telis atque armis improborum hominum conatus ac vim nefariam infringi posse ac repelli.

Et quidem non modo vetus est et sapientum omnium firmata iudicio, sed cum ipsis paene literis nata opinio, maximam esse in Republica vim literarum; neque aliud quicquam praeter literas ad tuendam populorum felicitatem plus habere momenti. Quod praeclare olim cum Mitylenaei intelligerent, eas, quas semel armis subegissent gentes, nulla alia, vt auctor est Aelianus, mulctabant poena, nisi vt liberos suos omnino arcerent a literis: omne illis praesidium se sustuliisse rati, vbi tantum literas sustuliissent. Quorum consilio certe haud minus improbe ac malitiose fecit nefarius ille Christiani nominis proditor

atque

atque desertor infestissimus Iulianus Imperator, qui quo certiorem sibi ad Christianam religionem funditus euertendam muniret viam, iis, qui Christianae eidem religioni sacramentum dixissent, literarum studia grauissimorum suppliciorum metu interdixit. Nouerat quippe homo, apprime callidus ac vafer, in optimis disciplinis situm esse firmamentum religionis ac Christianae rei propugnaculum: quamdiu vero ea studia florerent, religionem ipsam oppugnari minime posse, aut labefactari. Ex quo iam probe intelligitis, Auditores, quid sibi proposuerit sapientissimeque cogitauerit Leo X. cum in maxima eiusmodi perturbatione summoque Christianae Reipublicae tempore bonarum artium studia iam tum profligata ac prope deposita ab interitu vindicare, atque illis sedem et domicilium in hac Vrbe potissimum restituere aggressus fuit. Non inane aut vulgare aliquod, sed grauissimum suscepit negotium, cum de inferendo nefariis hominibus acri ac perpetuo bello, cum de tuenda Romanae Sedis auctoritate, de propugnanda sacrorum religione negotium suscepit. Quae quidem omnia cum bonarum artium studio ac dignitate cum maxime coniuncta esse intelli-

telligeret, ea se satis feliciter consequuturum sperauit, vbi ipsamet studia in hanc amplissimam imperii sedem atque Vrbem omnium principem reuocasset. Ne cui vero haec ad augendam bonarum artium existimationem de industria a me dicta esse videantur; cogitate mecum, Auditores, qui tum Romanae Sedis hostes, et quibus praecipue armis nefarium Ecclesiae bellum intulissent: homines scilicet, qui in Graecis, Hebraicis Latinisque literis maxime versati, atque omni eruditionis genere summopere instructi, non minus ipsis bonis artibus, quam audacia ac furore armati, ad omnia tum humana, tum diuina sursum deorsum pro libidine pertrahenda, impudentia plane singulari abutebantur. Quorum partim cum peruersis distortisque sententiis sacrarum literarum sensum auctoritatemque perturbarent; partim pestilentissimis editis commentariis populorum animis perniciosas insererent opiniones; partim denique concionum impudentissimarum vi et frequentia vrbes ac prouincias ab ipsius Romanae Ecclesiae sinu complexuque diuellere conarentur: vnus tamen omnium erat furor, eoque communis spectabat improbitas, vt subdole exteris gentibus persuaderent, Vrbem

bem Romam, Catholicae olim veritatis magiſtram, in ſumma nunc literarum ignoratione verſari, atque ibi omnia iam pro auaritia ac libidine, non aequo iure ac doctrina, vt olim, conſucuiſſe tractari. Ac proinde, Vrbe ipſa iam omnino relicta, ad exteras nationes germanam ac veram commigraſſe pietatem et religionem; ſeque vnos tum diuinitus fuiſſe oblatos ſacrarum literarum magiſtros ac duces, qui in literarum ipſarum ſtudio fere omnem traduxiſſent aetatem, qui ſapientia ac multiplici eruditione florerent, qui denique omnium prope linguarum notitia maxime excellerent.

Vt igitur impudentiſſima iſtiusmodi ora occluderet Leo, atque iisdem armis, quibus in Apoſtolicae Sedis exiſtimationem ac dignitatem nequiſſimi hoſtes impetum fecerant, in certamen deſcenderet, eosque quaſi proprio ipſorum enſe iugularet; non modo ſuum eſſe duxit, tales ſibi deligere viros, qui doctrinae et eloquentiae partes pro eiusdem Sedis Apoſtolicae maieſtate grauiſſime ſuſtinerent, ſed clariſſimis quoque vndique accitis bonarum artium profeſſoribus, arcem hanc diſciplinarum munitiſſimam excitauit. In his itaque caſtris ſtipendia mereri voluit

gubernatricem vitae ac ducem Philosophiam, qua, vt praeclare Tullius, vir bonus et fortis efficitur, quaque Plato nihil praestantius hominum generi a Diis immortalibus dari potuisse censebat. Hic firmissimum illud Catholicae religionis propugnaculum posuit Theologiam, qua nihil praeclarius, nihil diuinius. Hic sacrarum literarum historiam, vtriusque iuris doctrinam, linguarum fere omnium studium. Quonam vero euentu, quo auditorum numero, aut quanta bonarum artium gloria, illud satis sit dicere, optimas disciplinas tantum hic breui assequutas fuisse celebritatem, vt, teste Paulo Iouio, Romanum hoc ipsum Gymnasium, neque Bononiensi, neque Patauino, vel doctorum praestantia, vel auditorum concursu, concederet.

Quantum vero laudis Leoni X. apud omnes hinc accessisse putamus, quod scilicet tam sapienti consilio peruulgatos improbissimorum hominum sermones abrupisset, constitutisque in hac Vrbe optimis disciplinis, dignitatem Romanae Sedis, sacrarumque scripturarum auctoritatem non propugnasset modo, sed etiam quodammodo restituisset? Profecto propter vnam hanc ipsam studiorum instaurationem, communi omnium opinione, vsque adeo de

hac

hac Vrbe, de his templis atque aris fuit optime meritus, vt plurimi et grauissimi viri in ea sententia fuerint, illum iis omnibus praeferendum esse Romanis Pontificibus, qui multis ante annis tuendae amplificandaeque religionis gloria magnopere claruissent. Quod enim alii sanctissimas statuerint leges, ad improborum frenandam audaciam, siue ad populorum vtilitatem promouendam; alii vero, vt rem Catholicam, si qua in parte nutaret, tempestiue stabilirent, aut stantem erectamque opportune firmarent, vniuersorum Patrum concilium aduocauerint, in eoque multa sapienter ac diuinitus instituerint; quod denique alii propugnandae Christianae Reipublicae studio parauerint classes, copias instruxerint, ac sese in Principum Regumque foedera adiunxerint, magnam reuera et sapientiae et religionis famam sibi compararunt: et nemo vsque eo perfrictae frontis erit, qui illos summa laude ac praedicatione dignos esse minime fateatur. Tamen si quis rem subtilius pergat inspicere, neminem istorum cum Leone ob eiusmodi meritorum famam vllo pacto conferendum esse cognoscet. Nam praeterquam quod praeclara eiuscemodi facta ad eos Romanos Pontifices non ita pertinent,

vt cum Leone quoque communia non intercedant; cum ipse et plurimas et grauissimas sanciuerit leges, cum Lateranense Concilium a Iulio II. indictum atque inchoatum et sapienter prosequutus fuerit, et feliciter faustequе compleuerit; cum denique ad propugnandam tum Ecclesiae tum Italiae libertatem, non modo frequenter potentissimorum Regum amicitias sibi comparauerit, sed pertinacis quoque ingenii Principes, quique dicto minus audientes fuissent, omni prorsus imperii iure abdicauerit. Id tamen quo reliquis palmam eripuit, et quo ei prae ceteris haec Vrbs, haec moenia ac religio tribuere plurimum debent, sine controuersia fuit, optimarum artium studia in hac ipsa Vrbe amplissime restituisse. Nam quae tanta vis ad seruandam amplificandamque religionem siue in legibus, quas tempore saepe abrogari videmus, siue in armis, quae saepe irrito, saepe etiam poenitendo inferuntur euentu, continetur, quanta ea est, quae in bonarum artium institutione ac disciplina ponitur? Eae siquidem sunt, quae nos, de ipsa prope nutricis sinu acceptos, sapientiae lacte nutriunt ac fouent. Eae sunt, quae puerilem aetatem ad humanitatem et honestatis regulam informant.

Eae,

Eae, quanta ſit in virtute dignitas ac ſplendor, quanta in vitiis labes et turpitudo, edocent. Eae denique veram erga Deum pietatem, rebus diuinis reuerentiam, religionem templis, principibus fidem atque obſeruantiam conſtantiſſime habendam eſſe oſtendunt. Quae ſane ſi quis ſemel cum prima vitalis aurae particula ac paene cum lacte ipſo penitus imbiberit, tam recte ſapienterque reliquum vitae conficit ſpatium, vt ad virtutis naturam non tam factus, quam natus eſſe videatur. Haec itaque mens, hoc prope diuinum fuit maximi Pontificis conſilium: honeſtiſſimas diſciplinas in antiquum Vrbis huius domicilium, vnde per acerbiſſimas rerum vicestanquam de ſede ſua deturbatae fuerant, reuocare, quo vna cum illis integritatem, iuſtitiam, fidem, omnem denique virtutem poſtliminio reuocaret. Huius quidem ſapientiſſimi inſtituti rationem poſtea Tridentini Patres non modo communi omnium conſenſione probarunt, ſed nihil eo viſum fuit opportunius, quodque ad veterem inſtaurandam adeo tum collapſam Eccleſiaſticam diſciplinam magis eſſet accommodatum. Ac proinde, vt tam arduum ac periculoſae plenum aleae negotium auſpicato ſuſciperent, non aliunde

omen,

omen, quam ab ipsa studiorum instauratione vbique gentium vtiliter instituenda, quaeri oportere duxerunt. Quamobrem hac de re primo et in ipso rerum agendarum limine, tanquam de caussa omnium maxima, praecipue cogitandum esse putarunt, ac tempestiue accurateque statuendum. Ex quo satis liquido constat, quam graue tum fuerit de huiusmodi studiis, iampridem in hac Vrbe a Leone instauratis, hominum sapientissimorum iudicium, et quam profundum illud aestimari debeat opus, in quo religionis praesidium, innocentiam vitae et Ecclesiasticae disciplinae dignitatem Tridentini Senatus auctoritas vsque eo positam esse iudicauit.

Iam vero ne longius, quam par est, protrahatur oratio, quanta sit praeclarissimi eiusdem beneficii latitudo, diligenter attendite. Equidem si reliqua Vrbis gymnasia, quotcunque illa sint, cum hoc omnium principe conferantur; quodnam quaeso est, quod scientiarum multitudine, quod varietate linguarum, quod denique rerum omnium humanarum diuinarumque vniuersitate quadam ampliorem prae se ferat latitudinem? Multis quidem aliis in scholis tum Philosophiae, tum Theologiae studia docte ac perite pertractan-

tractantur. Vbi vero plura Theologorum subsellia, plures Patrum sententiae atque auctoritas? Vbi in tot distributa classes Philosophia vniuersa? Quid vero dicam de Mathematicis disciplinis? Quid de tanta linguarum multitudine, cum praeter duas illas ceterarum facile principes, Graecam scilicet ac Latinam, Hebraicis quoque, Arabicis ac Syriacis vocibus domicilii huius parietes quotidie personent? Illud vero, quod maiorem Academiae huius amplitudinem facit, quodque ei singulare omnino tribuitur ac proprium, procul dubio est tum iuris legumque disciplina, tum medendi facultas: quae quidem duo quantam, Deus immortalis! vniuersae Reipublicae vtilitatem afferunt, et quam amplissime per omnia humana ac diuina peruagantur? Ex tanto autem ac tam splendido disciplinarum omnium apparatu, ex tanta scientiarum turba tam multa sunt, quae et in publicum et in priuatum ciuitatis bonum deriuantur praestantissima commoda, vt in iis summatim et quasi compendio recensendis difficilius fortasse sit exitum, quam principium inuenire. Quocunque enim oculos cogitationemque conuerto, nullus mihi fere locus, nullum hominum genus occurrit, cui

hoc

hoc ſtudiorum emporium vtilitatem aliquam non afferat et emolumentum. Hic enim aetatis cuiuscunque atque ordinis adoleſcentes paratiſſimum habent perfugium, in quo ſine moleſtia, ſine impenſa, et quod certe pluris eſt, ſine melioris aetatis impendio diuturnoque taedio, breui, et vt Quinctilianus admonet, methodo ſatis ſimplici, tam humaniori-bus literis et eloquentia, quam grauioribus diſciplinis inſtituantur, ſtudiorumque ſuorum curſum ſumma facilitate ac breuitate confi-ciant. Quamobrem ſuperuacaneum et inanis prope laboris eſſet, hoc loco diligentius recenſere, quot praeclari ingenii iuuenes in his ſcholis olim liberaliter educati latinis poſtea graecisque literis floruerint; quot Philoſophiae ſtudio, aut Mathematicis diſciplinis, quot medendi facultate, aut iuris tum Ciuilis tum Canonici ſcientia praeſtantes nomen ſuum immortalitati donauerint. Innumeri ſiquidem nunc prae oculis nobis ſunt, qui amplíſſimo huic loco doctiſſimisque huius Academiae profeſſoribus acceptum referunt, quidquid ſibi honoris ac dignitatis contulit ſtudium earum artium, quarum hic iam poſuerant rudimenta.

Neque vero intra priuatas tantum aedes, aut

aut intra Vrbis muros beneficii huiusce ratio ita se continet, quin et foras erumpat, atque in alias quoque regiones, non modo per Italiam vniuersam, sed per omnes propemodum Christiani imperii fines longe lateque excurrat. Quantam enim in dies videmus esse auditorum frequentiam? Quantum ex omni fere Europa concursum? Quot Iurisprudentiae, aut Medicinae, aut quibusuis aliis disciplinis operam daturi e transalpinis prouinciis huc summo studio ac voluntate confluunt? Vt iam haec disciplinarum officina non tam populo Romano, quam omnibus fere gentibus posita esse videatur. Ex qua quidem peritissimi illi Iuris dicundi magistri profecti sunt, in quorum auctoritate ac doctrina tam multis hodie in locis municipiorum leges, ciuitatum iura ac bona ciuium fortunaeque nituntur. Hinc Hippocratis accepere aphorismos tot clarissimi viri, qui iam summa laude medendi facultatem sustinent, quorum ore ac spiritu vita principum ac populorum salus animari quodammodo ac sustentari videtur.

At vero quam in omnes tum ciues Romanos tum exteras gentes haec late pateat studiorum beneficentia, haud satis intelligi posse arbitror, nisi a nobis, quae praecipua sit

Romanae vrbis dignitas atque auctoritas, diligentius examinetur. Duo sunt omnino, quibus omnis Reipublicae salus maxime innititur, iisque sublatis, ipsa diu salua consistere nullo modo potest, religio scilicet et optimarum legum custodia. Quae quamuis optimae cuiusque ciuitatis statum constituere videantur, ad vrbem tamen Romam, veluti ceterarum omnium caput, ea duo potissimum pertinere nemo vnquam sanae mentis dubitauit. Cum enim amplissimam hanc Vrbem religionis Catholicae sedem esse ac domicilium voluerit Deus, vbi Romanus Pontifex tanquam in augustissimo Orbis theatro vicariam ipsius Dei personam apud homines gerens, Christiani totius imperii clauum teneret; illud necessario consequitur, vt cererae gentes hinc leges ac iura petere debeant, et ad hanc ipsam Vrbem iam de religione, iam de aliis grauissimis rebus consulendi caussa ex omnibus fere terrarum partibus conuenire. Et quidem vbi plures simili splendore ac dignitate virorum sapientissimorum conuentus? Vbi maior iudiciorum frequentia atque amplitudo? Vbi tot curiis, tot iudicum collegiis hominum quasi exercitus distributus? Tanta vero iuris tum Ciuilis tum Pontificii scientia, tanta in legibus ex-

explicandis interpretandisque notitia ac facilitas, cui magis quam Leoni accepta referri debeat, non video. Nam si id, quod res est, fateri volumus, ipse fuit, qui in misera illa disciplinarum nocte atque caligine clariſſima sapientiae lumina in hanc Vrbem inuexit. Ipse fuit, qui magnis propositis praemiis sapientissimos vtriusque iuris magistros inuitauit; atque operam dedit, vt non modo Romanae vrbis, sed Orbis propemodum vniuersi iuuentus Romae duces haberet peritissimos, qui in legibus, in senatusconsultis, in edictis praetorum, in decretis principum ac gentium iure intelligendo explicandoque viam ac rationem ostenderent. Ex quorum labore quotidiano atque industria quantum postea splendoris existimationisque huic Vrbi accesserit, aut quam vberem in dies fructum in causſis forensibus iudiciisque populus Romanus atque exterae nationes percipiant, cui tanta suppetit dicendi facultas, vt satis ac pro dignitate dicere possit? Quod si custodia legum, vt praeclare et grauiter inquit Euripides, ciuitates continet; ac iuris legumque neglectu florentissima et opulentissima orbis imperia funditus concidisse videmus: nonne populorum vindicem atque imperii statorem Leonem X. haberi ac dici oporteat, qui de legi-

bus ac iure earum omnium gentium, quae a Romana Sede, religione, fide et obſeruantia pendent, tantopere laborauerit? Non eſt igitur, cur miremur, quod beneficentiſſimo Principi ſtatuam in Capitolio populus Romanus dedicaret, ab eoque reſtitutam inſtauratamque fuiſſe Vrbem inſigni monumento profiteretur: cum potius mirandum eſſe videatur, cur ceterae quoque vrbes ac Chriſtiani imperii prouinciae ſingulas eius nominis immortalitati ſtatuas haudquaquam poſuerint. Quandoquidem non Vrbem duntaxat, neque ſolam populi Romani vtilitatem ſpectat tanta cum diſciplinarum ceterarum dignitas, tum iuris legumque auctoritas atque maieſtas, ſed eas omnes latitudine ſua complectitur gentes, quas vt religione, ita legum ſocietate cum hac ipſa Eccleſiaſtici imperii ſede coniunctiſſimas eſſe oporteat.

At ſupereſt iam, vt quam breuiſſime longitudinem eius beneficentiae conſectemur, cuius profundum hactenus aliquo pacto dimenſi ſumus ac latitudinem. Plurima quidem ſunt, quae excurrunt in longitudinem, quaeque hoc vno longitudinis nomine, multiplici tamen ratione ſub Geometriae regulam commode cadunt. Illud vero, quod haud poſtremo loco venit, et nunc ex re noſtra potiſſi-

tissimum esse videtur, est temporis longitudo ac mensura. Haec plane in definienda rerum natura tanti semper fuit, vt persaepe, quae minima esse videbantur, cum ad ea longitudo temporis accessisset, eadem et multa numero et magnitudine maxima esse, sapientissimorum hominum iudicio, constitutum fuerit atque decretum. Quae sane iudicandi consuetudo apud iuris interpretes, tum apud prudentissimum quemque, cum iam sit veteri vsu recepta, quodnam esse poterit de hac Leonis beneficentia hominum iudicium, si longitudinis eius ratio atque vtilitas perpetuo mansura exploretur? Non iis tantum, qui tum erant, Pontifex sapientissimus, neque vnius aetatis commodo consultum esse voluit, sed posterorum tempora longissime prospiciens, de liberis vestris, de iis, qui adsunt, ingenuis adolescentibus anxius vehementer fuit ac solicitus. Qua vero singulari industria, quo consilio atque incredibili sapientia? Natura quidem ita comparatum est, vt vnusquisque maxime immortalitatis studio ducatur. Quoniam vero, vt grauiter ait M. Tullius, exiguum nobis vitae curriculum natura circumscripsit; tam breues viuendi terminos in posteritatis memoriam rebus praeclare gestis beneficiorumque magnitudine prorogandi insita

nobis est ingens cupiditas, vt nimirum nisi spiritu vitae, nominis saltem immortalitate viuamus. At quotusquisque est, qui in posterum ita prouideat, vt pulcherrima beneficiorum suorum monumenta immortaliter viuant, neque vnquam situ iaceant, aut coeca obliuione inuoluantur? Haud raro res praeclare sapienterque a maioribus institutas fortunae casibus, aut posterorum languore et socordia perditum iri videmus, quod eae aduersus istiusmodi iniurias nullo satis praesidio firmatae fuerint aut communitae. Planius et apertius dicam: complures vetustiori aetate iam extiterant Romani Pontifices tam literarum, quam literatorum amantissimi, qui Romae etsi non omnium, aliquot tamen studiorum iecerant fundamenta. Instituerat Innocentius IV. Iuris Ciuilis et Canonici studium, cuius ipsum fuisse scientissimum, satis ea perspicuum faciunt, quae in Decretales Pontificum luculentissima edidit commentaria. Plures alias addiderat disciplinas Bonifacius VIII. vniuersorumque studiorum formam quandam in Vrbe praescripserat. Neque multo post doctos et in literis Hebraicis, Arabicis Chaldaeisque eruditos professores Clemens V. inuexit. Aliaque deinde alii. Quonam vero euentu? Nemo eorum, quo destinauerat,

rem

rem auſpicato perduxit. Nemo literarium negotium ita firmauit, vt decurſu temporis bonarum artium ſtudia nullam vim pertimeſcerent, nullaque die ad interitum vergerent: cum ipſamet ſtudia Leonis aetate iam adeo laborarent, adeoque profligata eſſent ac perdita, vt quaſi ab inferis ea reuocari oportuerit.

Quid igitur Leo, vt opportune huiusmodi malo omnino praecluderet aditum, atque optime non de ſua tantum, ſed de poſteroorum quoque omnium memoria perennis beneficii longitudine promereretur? Singularem hominis prouidentiam ac diuinum prope conſilium quaeſo cognoſcite. In medio ac frequentiſſimo Vrbis loco has, quas videmus, magnificentiſſimas ad caelum extollit aedes, quarum proſpectus, impluuium, porticus, ampliſſimum periſtylium ac cetera eiusmodi ſunt, vt et laxitate et elegantia a bonarum artium dignitate minime abhorreant: digna profecto, quae aetate quoque noſtra, tum illa immortalis memoriae foemina, Chriſtina, Suecorum Regina, aſpectu cohoneſtaret ſuo; tum etiam Alexander VII. Pontifex Maximus maieſtate ſua aliquando impleret. Quid poſtea? De Pontificio aerario Leo ipſe haud exiguam vectigalium detrahit partem, vt bonarum artium magiſtri tam Roma-

ni Pontificis beneficentia, quam publico ciuitatis ſumptu alerentur. Quorum alios inſuper ab ipſo ingentibus donis, alios honoribus, alios etiam bene opulentis ſacerdotiis auctos fuiſſe atque ornatos, Paulus Iouius commemorat. Tot praeterea leges ſapientiſſimas addit, partim optimae ſtudiorum rationi adminiſtrandae accommodatas, partim ad profeſſorum eruditionem et diſciplinam, partim etiam ad eos, quorum in fide ac patrocinio hanc eſſe voluit Academiam, ſpectantes; vt neque praeſtantius, neque praeclarius ciuitatis alicuius vtilitati aeternitatique caueri potuiſſet. Quod igitur, labente iam tertio ab hac ſtudiorum inſtauratione ſaeculo, tanto ſemper floruerit concurſu iſthaec bonarum artium Respublica, tantaque profeſſorum eius per omnem aetatem extiterit virtutis, integritatis ac ſapientiae fama, vt ex his ſubſelliis non modo innumeri ad ſacras infulas, verum etiam ad purpurae dignitatem complures euecti fuerint, quod denique maior in dies hinc profectura ſit ſtudiorum exiſtimatio ac nomen; nonne acceptum potiſſimum profiteri debemus ſingulari prouidentiae ac conſilio ipſius Leonis, qui in eo totus fuit, vt beneficentiam hanc ſuam ad omnem poſteritatis memoriam commoditatemque traduceret? O beneficentiam eius non

non modo latitudine magnam, verum etiam longitudine maximam! Dum clariſſima haec Vrbs, dum haec moenia, dum populi Romani nomen erunt, immortali omnium memoria viuet laudatiſſimus Pontifex, non ſolum ob perennem conteſtatamque virtutum ſuarum famam, ob ſingularem in ornanda amplificandaque Vrbe magnificentiam, ob inuictam animi conſtantiam, pietatem ac religionem; ſed eo potiſſimum nomine aeternitatem conſequetur, quod tam populi Romani, quam exterarum gentium animos ſibi ſummo perpetuoque beneficio deuinxerit. Non vberrimos tantum, ſed iuges, ſed ſempiternos nobis diſciplinarum recluſit fontes. Nouerat, quod conquiſite ſcribit Seneca, illud maximum eſſe beneficium, quod ſemper ante oculos eſt, et obliuiſci ſui nunquam ſinit, ſed auctorem ſuum, vt ipſe ait, ingerit ſemper et inculcat. Nouerat haud ſatis dari, etſi neceſſaria, vtilia ac iucunda darentur, ſi ea, quae dantur, manſura omnino non eſſent. Vt igitur magnum vndequaque in hac ſtudiorum inſtauratione conferret nobis beneficium, non modo in eo profundum ac latitudinem, ſed perennem etiam perpetuoque duraturam eſſe voluit longitudinem. Cuius quidem ingens et infinita propemodum menſura cum vix percipi cogitatione poſſit, nonne eam attentare, vt de

caeli dimensione censuit Plinius, furor esse videretur? Nulla profecto vis hominum atque audacia, nullum tempus, nulla aetas, nulla poterit abolere vetustas tam praeclarum et immortale Leonis X. beneficium. Imo dum literae, dum Roma, dum Orbis erit, bonarum artium studia in ampliſſimo hoc Lyceo constanter perpetuoque florebunt.

Vtinam igitur mihi nunc tanta vis ingenii tantumque esset ab eloquentia praesidii, vt et Academiae huius vniuersae nomine, et populi Romani et gentium omnium vocibus eas tibi, Leo Pontifex sapientissime, immortales gratias agerem, quas tibimet, Archigymnasii huius statori, bonarum artium vindici ac literarum parenti beneficentissimo, quam maximas deberi, summo omnium consensu ac solenni religione, profitemur. Sed quoniam beneficiorum tuorum amplitudine non eloquentiam modo, sed Geometriae quoque mensuras superasse videris, hoc plane restat vnum, vt iam manus vltro demus; teque longius atque vlterius, quam quo dicendi facultas et inusitata quaelibet laudandi industria assequi valeat, beneficentiae magnitudine proceessisse, silentio fateamur.

DE

DE

INFELICITATE ILLITERATORVM

ORATIO IV.

HABITA XV. KALEND. NOVEMBRIS
AN. M DCC XIV.

Sächsische Landesbibliothek – Staats- und Universitätsbibliothek Dresden
http://digital.slub-dresden.de/id368268268/145
gefördert von der Deutschen Forschungsgemeinschaft DFG

Eminentissimo ac Reuerendissimo

IO. BAPTISTAE SPINVLAE

S. R. E. Presbytero Cardinali

CAMERARIO

Paulinus a S. Iosepho Scholarum Piarum.

SI optimae artes, Romani huius Archigymnasii felices incolae, ipsae per se loqui possent, magnas profecto tibi gratias agerent, Cardinalis amplissime; ac nemini magis quam tibi acceptum profiterentur honorem, quem praeclaro tuo de se iudicio sibi maxime restitutum fuisse gratulantur. Cum enim, nescio quo malo literarum fato, contigisset, vt superiori aetate patrocinium Academiae huius fere apud eos esset Cardinales Camerarios, qui quemadmodum genere, ita solicitudine et cura ad sustinendum Ecclesiae imperium cum Romano Pontifi-

tifice coniungebantur: inde fieri solebat, vt in tot tantisque illi versarentur negotiis, vt de hac literarum prouincia ne cogitare quidem possent; aut etiam si possent, in eo dignitatis fastigio positi Deorum illorum instar esse viderentur, quos magna curare, parua negligere M. Tullius existimauit. Ex qua quidem inanis patrocinii forma, quae quantaque deinde rem hanc literariam inuaserint mala, eo libentius praetermitto, quo magis iam latent neminem. At tandem aliquando, singulari Dei immortalis beneficio, factum est, vt cum amplissimo Camerarii munere, quod fidei summaeque tuae integritati Romanus Pontifex demandauit, haec quoque studiorum cura obueniret tibi, qui et de literis optime sentires, et earum patrocinium a dignitate tua abhorrere nunquam iudicares. Qua de re praeclarum satis tunc maxime dedisti argumentum, cum ad vetera patrocinii eiusdem iura auctoritatemque vindicandam, publicas etiam inimicitias literarum caussa suscipere minime dubitasti. In quo certe quanti amplitudinem huius loci faceres, tam aperte significasti, vt optimae artes ex hac tua erga se voluntate ac studio honorem sint incredibilem consequutae. Hinc enim peruersa illa, quae superiori memoria

de

de cura Archigymnasii huius, tanquam de re minus graui, dissipata fuerat opinio, auctoritate tua atque iudicio refutata est omnino. Hinc labes illa ac macula, quae tot annos Academiae huius nomini insederat, per te deleta penitus fuit atque restincta. Hinc denique honestissimae disciplinae, quasi alumnae quaedam tuae ac familiares, animum erigere coeperunt pauloque liberius respirare. Quas igitur tibi, tanquam praeclarissimo dignitatis suae statori ac vindici, ingenuae artes immortales profitentur gratias, eas profecto Romani huius Lycei professores earundem nomine debent tibi, perpetuoque debebunt maximas. Horum itaque in numerum ego quoque, beneficio praesertim tuo, nuper adscriptus, quanquam aetate, loco et eruditione omnium postremus, in dignoscendis tamen tuis erga nos meritis nemini inferior, eas Eloquentiae nomine gratias ago, quas maximas pro exiguis viribus meis possum. Pudet vero me haud posse aliquod tibi supra vulgarem consuetudinem ingenii munus offerre, quod singulare ac perenne esset memoris animi mei monumentum. Etenim quod hanc orationem ex aliqua saltem grati animi significatione nomini tuo inscriptam voluerim, id

mihi

mihi intercedit commune cum multis, qui iam antea hoc ipsum splendidiori fortasse eloquentiae apparatu praestiterunt. Quid igitur? Ab omni prorsus officii genere mihi diutius temperarem? Id neque obseruantiae meae rationes, neque tua cum publica, tum etiam priuata in me beneficia patiebantur. Vnumitaque superest, vt nimirum non tam orationem hanc ipsam, quam oratoris studium ac voluntatem spectatam habere maxime velis. Hinc enim fiet, vt hoc idem munus, quod si ex sua, vel tua dignitate spectetur, perexiguum certe est ac prope nihil, ex magnitudine tamen animi multo maiora dare cupientis aestimatum, quid magnum, aut saltem aliquid esse videatur.

MIRA-

MIRATVS sum saepe ac vehementer, quid esset, quod maiores nostri, qui tam multa grauiter sapienterque in eos statuissent, a quibus aliqua ex parte rempublicam perturbari posse suspicarentur, nulla tamen lege, nullo S. C. aut Praetoris edicto, singularem hominum illorum amentiam coercendam esse putauerint, qui cum acri ingenio ceterisque rebus, quibus literarum studia aluntur, maxime abundent, in supinam nihilominus oscitantemque socordiam aetatis florem perditissime abiiciunt. Non enim illud facile intelligebam, qua de caussa tot leges alioquin sapientissimas, Corneliam, Iuliam, Aciliam, Calpurniam, Maniliam, Aeliam, Fusiam aliasque complures constituissent, quibus saepenumero non tam malum, quam mali suspicionem a republica dimouere conati fuerunt; nullam deinde censuissent in eos esse rogandam, quos optimis disciplinis infensos desidiaeque deditos, reipublicae perniciosissimos esse summoque dedecori, nemo vnquam dubitauit. Neque vero maiores homines plane incredibili iudicio ac sapientia ornatos, latere poterat, inertia nihil esse foedius, nihil humanarum diuinarumque rerum ignoratione periculosius: cum probe

probe perciperent, otio ali solere vitia, et frequentissime otium ipsum non modo priuatos homines, sed et Reges, et beatas olim vrbes in interitum excidiumque traxisse. Haec aliaque id genus dum maturius animo reputarem, illud tandem mihi compertum est, iure optimo nullam in eiusmodi homines a maioribus latam fuisse legem, quod in eos iampridem non vnum, sed multiplex supplicii genus a natura ipsa fuisset prouidentissime constitutum. Cum enim ex veteri quadam consuetudine institutoque naturae ita comparatum sit, vt iidem apud omnes fere nationes insigni turpitudine ac summa infamia laborent, cumque vitam omnino tristem, aerumnosam, curarum ac molestiae plenam et morti, vt ita dicam, propiorem, quam vitae ducere cogantur; bene ac sapienter maiores nulla alia seueriori lege nulloque grauiori iudicio in ipsos animaduerti posse putarunt. Decreueram itaque hodierno die ad inflammandos sapientiae studio iuuenum horum clarissimorum animos non alia ratione vti, quam luctuosum hoc ipsum, quod ignaui homines de se vbique terrarum praebent, spectaculum exhibere. Hinc enim fore sperabam, vt honestissimi iuuenes infelicissimum illud viuendi genus quam

maxime deteſtarentur, cui et nullam vnquam impunitatis ſpem eſſe, et ſumma gentium omnium inuidia conflagrare intelligerent. Noluí tamen per ſingulas orbis partes excurreret ac peregrinaretur oratio: nolui externa, aut longius petita conquireret, cum tam multa domi ſuppetant hominum inertiſſimorum ſupplicia. Sed vnum et quidem domeſticum, quod multis fortaſſe leuiſſimum, mihi vero ſupplicium omnium maximum, quodque ceteris anteponendum eſſe videtur, in medio proponam; ita tamen, vt neque ab hodiernae celebritatis inſtituto abhorreat, neque a ſtudiis veſtris, iuuenes, alienum eſſe cenſeatur. Quod tum plane me facturum eſſe confido, ſi ea, qua potero, breuitate oſtendam: nihil durius atque acerbius illiteratis hominibus poſſe contingere, quam quod Romae viuant. Quo quidem argumenti genere illud, quemadmodum ſpero, efficiam, vt qui ſumma frequentia adſunt optimi iuuenes, alieno ſupplicio deterriti, aut tempeſtiue totis viribus ad ſapientiam incumbant, aut vltro ſibi aliquando exulandum fugiendumque eſſe cognoſcant ex hac pulcherrima Vrbe, in qua ignauis illiteratisque hominibus citra ſummam infamiam atque impune viuere minime liceat.

Atque

Atque vtinam mihi in hoc primo orationis aditu imitari fas esset factum Socratis sapientissimum, qui, quo suorum animos ab iracundia longius abduceret, non grauiorem illi, qui forte irasceretur, mulctam irrogabat, nisi vt in speculo oris habitum vultumque ira furentem contemplaretur. Existimabat siquidem vir prudentissimus ad iram maxime detestandam vnumquemque satis commoueri posse, si oculis, quorum sensus esse solet acerrimus, turpitudinis eius speciem propositam habuisset. Vtinam igitur et nobis hodierno die haud dissimile speculum, in quo homines indocti sese intueri valerent, excogitandi elaborandique facultas tribueretur. In eo profecto illi quales se, Deus immortalis, conspicerent! Hominesne an pecudes dicam? Quandoquidem non Circaeo aliquo poculo, sed otio desidiaque imbuti tam longe ab omni humanitatis studio recesserunt, vt si id, quod reuera est, fateri volumus, non tam hominum, quam pecudum loco habendi esse videantur. Cum enim duo sint, per quae a ceteris animantibus vel maxime discernimur, ratio scilicet et oratio, quarum vtraque in eiusmodi hominibus rudis solet esse omnino atque inchoata; nondum plane inter sapien-

tes conſtitutum eſt, plusne ad hominis, vel pecudis naturam accedant, licet inter ipſos ac pecudes haud multum intereſſe nemo vnquam ſapiens dubitauerit. Quid vero pecudes eos mihi nominas? inquit Ariſtippus: lapides potiori iure cenſeri debent. Etenim ſiue in foro, ſiue in circo, aut quouis alio in loco ſedeant, ſemper lapis ſuper lapidem ſedet. Parcius tamen multoque moderatius in inſectanda iſtorum ignauia ſe geſſiſſe videtur Cicero, qui inertiſſimum vnum ex hoc grege hominum Piſonem non lapidem, ſed truncum aliquem ac ſtipitem pronuntiauit. Quicquid vero ſint iſtiusmodi homines, aut lapis, aut truncus, aequo animo eſſet ferendum, ſi ab omni hominum conſortio remoti, in montibus incluſi, aut ſyluis abditi delitеſcerent. Eorum quippe naturae conſentaneum prorſus videretur, vt qui literarum et humanitatis omnis expertes ſint, non inter homines, ſed inter feras commorarentur. At vero quod Romae, in vrbe ſcilicet omnium principe, atque in tanta ſapientiae luce, homines, alioquin honeſto loco nati verſentur, atque ita verſentur, vt neminem tam apertae eorum ignauiae fugere poſſit ſuſpicio, quis adeo mentis eſt impos, qui id, quam turpe ſit, mini-

minime videat? Vtinam tamen ipsi quoque aliquando hoc viderent explorateque cognoscerent. Profecto in abditissimo aliquo orbis angulo socordiae suae latibulum quaererent. Neque enim perexiguam in hac vrbe diem agere eos sineret pudor atque ignominia: sed quasi saxa haec ipsa ac rudera, quae certe plurimo eruditionis sensu informata sunt, in eorum pinguem reclamassent inertiam, hos penates, haec templa, atque haec moenia continuo fugerent, abirent, proficiscerentur. At quoniam vsque eo se ignorant, atque vrbis huius aspectu tantopere delectantur, maneant, si libet, Romae: imo etiam, si Diis placet, in literatorum hominum coetum sese haud raro immiscere audeant. Hoc enim nobis ad infamiam, qua ipsi in literatissima vrbe maxime flagrant, dignoscendam luculentius, percommode cadit. Quid vero inter viros, summa sapientia ac doctrina ornatos, agent istiusmodi homines in literis peregrini omnino atque hospites? Qua ratione inscitiam suam dissimulabunt tam callide, quin apud omnes ridicula capita censeantur? Tacebunt, credo. At praeterquam quod silentii huius importuni diuturnitas eos aperte nimis de ignauia sua coargueret, quid tandem

dem est in honestissimo hominum conuentu, vbi de multiplici disciplinarum genere, de amoenioribus literis, de Historia, de Dialectica, de Geometria res sit, nihil respondere, nihil penitus dicere ac prorsus obmutescere, nisi reuera se truncum stipitemque inanimem venditare. At fortasse loquentur. Quid vero? Qua de re? De iis, opinor, optimis artibus, quarum non modo dignitatem, naturam ac partitiones ignorant, sed ne nomen quidem satis perceperunt? Recenti memoria factum quaeso cognoscite, cui nisi pro testimonio accederent complures viri grauissimi, de industria a nobis excogitatum confictumque esse videretur. Hominem in primis nobilem, sed in literis plane nouum, cum aliis plurimis, qui dignitate perinde ac doctrina eminebant, conuocauerat ad conuiuium vir in hac ciuitate primarius. Cumque epulae variis honestisque protraherentur sermonibus, accidit id, quod fere inter literatos viros solet accidere, vt mentio fieret de iis optimis artibus, quas vt libero homine dignas, ita maiores nostri liberales ac peculiari nomine bonas artes appellarunt. Has itaque Romae hoc quidem in tempore florentissimas esse partim contendebant, partim e contrario iacere, et iam quasi ad interitum

ritum vergere. Cumque opinionem pro se quisque suam qua ratione, qua exemplis confirmaret ; homo ille insulsus , qui Philosophiam ne primoribus quidem labris attigerat, nec quantum discriminis inter liberales et mechanicas artes intercederet, vnquam audierat ; miror, inquit, mehercule a quopiam in dubium vocari, num bonae artes Romae hac tempestate vigeant, in qua aurigandi studium magnopere vigere nemo est, qui dubitet. O singularem animi stuporem! O amentiam incredibilem! Quos risus tam leuem importunamque sententiam consequutos fuisse putatis ? Excusari quidem facile poterat homo imperitus, si inter ingenuas ac nobiles disciplinas maxime posuisset architecturam ac pingendi sculpendique facultates, quas in Vrbe dudum, singulari Clementis XI. beneficientia, restitutas ac praemiis auctas fuisse videmus. Enimuero inter liberales artes aurigandi peritiam extollere, cui risum non moueat ? In eo tamen, puto, deceptus fuit homo peracuti ingenii, quod complures in hac ciuitate vidisset principes viros aurigandi studio tantopere delectari ; et quod dolendum magis est, persaepe in liberorum institutione ad id magis incumbere, vt pueri bene ac nauiter

uiter equis inflectendis, aut sonantis flagelli crepitu concitandis assuescant, quam literis honestisque moribus informentur. Sed iam nimium multa de iis, quae fortasse per iocum, tum etiam ex industria ad conuiuii hilaritatem dicta fuisse videantur. Fac tamen de trita atque omnium ore peruulgata historia aliqua sermo grauis omnino ac serius inciderit: quam inepta tibi ac minime consentanea eiusmodi homines respondebunt? In eos tunc perbelle cadit Galeni illud: stulti ad cribrum. Quandoquidem indistincte nulloque iudicio aetates hominum ac tempora pertractantes, confundent Persas ab Alexandro victos cum iisdem sub Cyro rege victoribus: Catonem Censorium indiscriminatim pro Vticensi vsurpabunt, aut vnum etiam ex duobus conflabunt; vnoque verbo, quot dicta, totidem congerent anachronismos: nisi forte Alexandros, Cyros, Catones, aliaque huius generis celebratissima nomina audientes, tanquam ad sibi ignotas prorsus ac barbaras voces, haereant. Quid vero si de vrbe aut prouincia aliqua, non ad Antipodas quidem posita, sed a nobis paulo remotiori instituatur oratio? In quot enormes impingent scopulos, quantisque locorum sese implicabunt erro-

erroribus? Nam cum omni Geographiae lumine careant, haud raro fit, vt tam longe ab eo, quod propositum est, aberrent, vt si de Asiae rebus agatur, iidem in America versentur, ac de Mexico interrogati de Aethiopia respondeant. O miseram planc atque infelicem illiteratorum hominum conditionem! Si taceant, vt elingues reprehenduntur; si loquantur, citra risum et infamiam loqui minime possunt.

At vero non Romae tantum, dicet aliquis, sed in multis quoque aliis ciuitatibus eadem manet id genus hominum irrisio idemque supplicium. Non est igitur, cur in ipsos Romae fingas singulare patibulum. Apud omnes fere populos, de literis optime meritos, haud dissimiles ignauiae suae poenas perpendant, necesse est. Fac omnino ita esse: et quacunque in ciuitate sint isti literarum osores, dedecore ignominiaque notentur. Nusquam tamen id magis aut frequentius, quam Romae contingere posse contendo. Quod quidem ne temere aut ex leui aliqua coniectura dictum esse videatur, vrbem Romam eiusque conditionem ex vberrimo, quo per omnem ferme aetatem ditata fuit, doctrinae censu mecum paulo accuratius penditote.

Quanta hic semper hominum doctissimorum frequentia? Quanta poetarum, rhetorum, philosophorum theologorumque primi ordinis multitudo? Quot clarissima iurisprudentiae lumina? Vt in qua disciplina alibi locorum vix vnus aut alter alicuius nominis reperitur, in ea Romae veluti multiplex seminarium existat. Cum enim ad hanc Vrbem, Christiani imperii caput, ex omnibus prope orbis partibus in diem confluant viri, ingenio acerrimi atque in omni disciplinarum genere perpoliti, tanta hic est, semperque fuit ingeniorum vbertas, tanta literarum gloria ac dignitas, vt vel Athenis Roma doctrinae palmam eripuisse, vel Athenae Romam commigrasse videantur. In hac igitur tanta ingeniorum luce tantoque concursu sapientum vbinam tarditatem atque animi sui stuporem illiterati homines occultabunt? Amicitiamne aliquam familiaritatemque inire poterunt, in qua apud viros et dignitate et eruditione grauissimos minus offendant? Quod tandem vitae genus in Vrbe agent? In aula, opinor, Purpurati alicuius principis locum nobilitate aut gratia sibi comparabunt. Itane vero? Dicam plane, quod sentio. Reiicere ab se deberent omnino ignauos huiusmodi homi-

nes

nes ampliſſimi Patres; et in hac re maxime, clariſſima illa Romanae purpurae lumina, Bembos, Sadoletos, Contarenos, Campegios, Eſtenſes, Borromaeos aliosque horum ſimillimos imitari, quorum ſolicitudo in eo praecipue fuit, vt perhonorifica mercede propoſita, niſi viros literis ac doctrina praeſtantiſſimos in ſuorum familiarium ordinem neminem cooptarent. Hinc enim eſſet et literis patrocinium et ampliſſimae dignitati ornamentum. Hinc nominis ſui memoriam non cum vitae tempore dimitterent, ſed cum omni poſteritate adaequarent, ex literis ſuorum ac monumentis immortalitate donati. Sed non id agimus; vtque iam eo, vnde digreſſi ſumus, redeamus: eſto in aulam admittantur iſti, non tam homines, quam hominum ſimulacra, vt ſaltem ipſimet aulae ornatum conferant ſtatuarum more, aut earum arborum ſimiles, quae multo foliorum tegmine ornatae ad hortorum amoenitatem conſeruntur, cum nullos praeter ramos frondesque afferant fructus. Neque enim longe diſſimilem in aula ſpeciem prae ſe ferunt elegantes iſti, bene capillati, vnguentis delibuti et ad omnes officiorum formulas prope facti. In hoc igitur officiorum regno beatam quidem pulchramque vitam ſibi duce-

ducere videantur. An vero hic demum eorum ſtultitia immunitatem conſequetur? Atqui non modo apud domeſticos, ſed apud exteros quoque, quibus ſaepe colloquantur, ſaepe agant neceſſe eſt, eos crebrius irrideri iocisque notari continget. Nam fieri nullo modo poteſt, vt in maxima hominum celebritate atque in oculis omnium viuant, nec in viros frequentiſſime incurrant, omni literarum ſtudio ornatos, quos ne riſum in ſe concitandi copiam faciant, nec libere alloqui poterunt, nec ſilentio dimittere. Quid igitur conſilii capient infantiſſimi homines, vbi nomen atque exiſtimationem ſuam in tam difficili loco verſari videant? Quo ad euitandam huiusmodi infamiae labem ſe tandem vertent? An vltro ſeſe ignaros, ſtupidos et humanitatis omnis expertes eſſe fateantur? Sed non erit plane, cur id de ſe fateantur: vel taciti nullo negotio agnoſcentur. En quam ſcite eleganterque nobis ipſos deſcribit et quaſi digito demonſtrat M. Tullius: homines, inquit, ſine ſenſu, ſine ſapore, tardi, rudes, elingues.

At vero illiteratum eſſe, nulla ſit prorſus infamia, nullum probrum, aut ignominia. Quin etiam literarum ſtudia iis relinquantur, qui-

quibus aut nullus nobilitatis sit splendor, aut saltem perexigùum patrimonium. Qui vero claritatem generis atque opes a maioribus suis acceperunt, habent iam vnde prospere beateque viuant. Nullam igitur in hac splendidae vitae tranquillitate, etiam si in Vrbe viuant, ignorantiae suae poenam daturos esse putatis? Nequaquam profecto. Nisi forte nobis cum aliquo e Stoicorum secta res est, qui nihil eorum, quae prima mortales putant, curet, seque in eo diuitem satis beatumque praedicet, quod astra contempletur. Homines autem, apud quos et ratio et dignitas et existimatio, vel saltem humanitatis aliquis sensus valeat, quo ferent animo, iis Romae se videre posthabitos, quibuscum vel de generis antiquitate, vel de fumosis maiorum suorum imaginibus in contentionem venire pudori sibi maxime ducerent? Atqui ea semper fuit Romanorum Pontificum consuetudo, vt in largitione magistratuum, praeturarum, legationum aliorumque munerum, non tam familiae, quam sapientiae rationem potissime haberent. Licet enim non semper in magistratu sit optimus, qui in academia fuerit princeps, raro tamen accidit, vt cum doctrinae praestantia minime coniungatur prudentia, grauitas, continentia, iustitia, fides aliaeque vir-

virtutes, quae quoddam habent cum ea commune vinculum et quasi cognatione quadam continentur. Praeterquam quod cuius optimarum artium cognitione careat animus, is qui poterit ciuibus iura describere, quid cuique tribuendum sit intelligere, diffidia ciuitatis componere, futura prospicere, et, quid in singulis rebus sit optimum factu, animaduertere? Excusauit valetudinem oculorum, cum designatus fuisset consul, T. Manlius Torquatus: neque, vt summum imperium susciperet, precibus aut vlla alia vi adigi potuit; quod rem indignam duceret, ei capita ac fortunas ceterorum committi, qui alienis oculis indigeret. Cui vero ad omnia alieno iudicio alienoque ore vti necesse sit, eum nos ad ceteros gubernandos idoneum esse iudicabimus? Quae quidem singula in Ecclesiasticis muneribus, aut magistratibus haud minus esse attendenda, tam perspicuum omnibus esse arbitror, vt hac in re superuacaneum sit immorari diutius. Cum itaque Romae non ii digni honoribus esse iudicentur, qui genere, nobilitate opibusque maxime praestant, sed qui praeterea integritate vitae ac doctrina ad eos tanquam per gradus efferuntur; ecquis non videat, in hac ciuitate imperitis hominibus omnem ad dignitatem aditum esse interclu-

cluſum? At enim huiusmodi homines ſorte ſua contenti, nec de magiſtratu, nec de praetura ſoliciti, procul negotiis in otio placidiſſime acquieſcunt. Sic opinor: iſtaec nihil curant ſcilicet. Nae vehementer errant, qui de cupiditate iſtorum hominum et ambitione tam religioſe iudicant. Nemo ipſis in quaerendo honore ambitioſior, nemo in petitione audacior, nemo in contentione importunior. Nullum enim inſcitiae propius coniunctiusque ſolet eſſe malum, quam arrogantia. Quod reuera hinc proficiſci crediderim, quod cum notae iſtius homines ſe prorſus ignorent, nec quantum inter viros optimis artibus expolitos et aliorum vulgus interſit, comprehendant, ſecum iniquius agi putant, niſi a Principe ratio ſui primum habeatur, ceterisque omnibus in partitione prouinciarum praeferantur. Ac proinde ex alienae dignitatis ſplendore ad offenſionem inuidiamque commoti clamitant, conqueruntur; quodque ſuis nequeunt conſequi in rempublicam meritis, id vi et clamoribus extorquere conantur. Hoc autem ipſis ſi bene fauſteque eueniret, quae mala, per Deum immortalem, rebus cum humanis, tum diuinis metuenda non eſſent? Quandoquidem praereptis doctrinae praemiis, iisque temere ab ignorantia occupatis, iam de

do-

doctrina ipsa, de virtute, tum etiam de religione actum esset omnino. At singulari Dei Opt. Max. beneficio nihil est in praesentia, quod suspicionem nobis hanc moueat. Imo vero certis iam rebus diuturnoque temporis experimento exploratissimum nobis est de voluntate Principis, qui meritorum ratione satis superque perspecta, neminem nisi merentem extollit. Videant itaque, nec sine ingenti dolore videant ignaui isti, Romae probis et eruditis hominibus aditum ad dignitatem patere ampliſſimum, seque vnos magno cum dedecore atque contemptu repelli. Videant inferioris ordinis homines non modo haud mediocres opes doctrina sibi comparasse, sed ad summos quoque apices ea duce sibimet iter feliciter complanasse: se vero in ciuitate primarios nulla dignitate ornatos nulloque imperio praeditos inter postremos ac despicatissimos agere. Videant denique sapientes magnam ab omnibus inire gratiam, et auctoritate plurimum valere, indoctos vero vbique gentium explodi, apud omnes labe atque ignominia conflagrare. Haec aliaque plura cum videant, nisi spiritu vitae careant, omnique sensu destituti sint, tam incredibilem animi dolorem inde capiant necesse est, vt Romae esse supplicium sibi perpetuum sit

multo

multoque grauiſſimum. Exeant igitur hinc potius, abeant, proficiſcantur; ſeque non minus ab hac moleſtia, quam Vrbem ab iſtiusmodi colluuie liberent. Neque enim ſecus ab aegritudine iſta vacaturos puto, niſi ſe procul ab his tectis, foro, templis moenibusque proripiant; atque eo tandem ſe conferant, quo nec literarum nomen, nec praeſtantiſſimae huius ciuitatis fama peruaſerit.

Sed omittamus aliquando inertiſſimos homines, eosque ignauiae ſuae poenitere, ac magnitudine doloris opprimi relinquamus. Dicendi tamen finem non faciam, quin prius vobis, optimi iuuenes, conditionem veſtram, qua maxima poſſum voce, ſummopere gratuler. Vos enim iam iter illud ingreſſos fuiſſe video, quod ad immortalitatem nominis laudemque ſempiternam maxime peruium eſſe ſolet atque expeditum. Neque enim vereor, ne ex hac veſtra diſcendi cupiditate ſtudioque ſapientiae ſingulari tantum vobis acceſſurum ſit dignitatis, quantum infamiae ac turpitudinis illiteratis hominibus ex eorum ignauia aſpergi ſolere intellexiſtis. Pergite itaque, qua coepiſtis, animorum alacritate, diligentia atque induſtria; et frequenter vobiscum in ea Vrbe vos eſſe perpendite, quam, quemadmo-

dum virtutis ſedem, bonarum artium officinam ac domicilium gloriae gentes omnes vno conſenſu confitentur, ita moleſtiſſimum in ea ipſa ſolent ſupplicium ignaui homines experiri. Ac proinde ſi vos id, quod maxime debet, pulcherrimae Vrbis huius maieſtas ac ſumma amplitudo delectat, in eam ſtudiorum rationem diligenter incumbite, quae a laude ac celebritate Romani nominis nihil vnquam abhorreat. Quamobrem primo ſapientiſſimi Pontificis Clementis XI. ſummam eruditionem cum ſingulari virtute coniunctam, deinde ceterorum clariſſimorum hominum, qui dignitatem Vrbis magna ſapientiae fama ſuſtinent, exempla vobis proponite. Horum labores intueamini, horum de gloria dies noctesque cogitate, et ad eam exaequandam omnes ingenii neruos contendite. Hoc autem quo facilius conſequamini, habetis in hoc Romano Archigymnaſio publice conſtitutos eruditiſſimos homines, qui vobis in hoc itinere duces optimi eſſe poſſint: quorum labori quotidiano ac diligentiae vt pari reſpondeatis induſtria, certe vos non tam oratio mea, quam dignitas veſtra, nomen atque exiſtimatio cumulatius cohortantur.

)o(

DE

DE
FORENSI
LATINITATE
EXPVRGANDA
ORATIO V.

HABITA KALENDIS DECEMBRIS
AN. M DCC XVI.

Amplissimis XII. Viris
SACRAE CONSISTORIALIS AVLAE
ADVOCATIS
ET
Archigymnasii Romanae Sapientiae
RECTORIBVS,
IOANNI FRANCISCO FAGNANO
DECANO.
ALEXANDRO CASALIO.
ANTONIO FELICIANO MONTECATINO.
DESIDERIO SPRETO.
IACOBO SARDINIO.
PROSPERO LAMBERTINO RECTORI
DEPVT.
FERDINANDO DE VALENTIBVS.
PETRO POMPONIO DE VECCHIS.
CAROLO MARIAE SACRIPANTI.
ANTONIO SERLVPIO.
BONIFACIO SPRETO COADIVT.

* * * * * * * * * * * *

PAVLINVS A S. IOSEPHO
Scholarum Piarum.

Illustriſſimi et Reuerendiſſimi Domini.

CVM ego ſemper de ampliſſimo Collegio veſtro tam praeclare ſenſerim, quam qui maxime, haud certe mirari debetis, ſi oratio haec mea in lucem exeat, veſtro potiſſimum nomine commendata. Vnde enim mihi praeſidium magis firmum contra ſermones et voculas maleuolorum, quaecunque futurae ſint, quam a ſingulari veſtra ſapientia, grauitate, conſilio atque auctoritate? Nemo ſane quicquam poterit de inſtituto ipſius orationis detrahere, aut aliqua ex parte reprehendere, quin politam quoque ac latinam ſcribendi rationem, quam in vobis prae ceteris ſuſpicimus, reprehendat. Ego equidem non ignorabam, difficile omnino eſſe, vt vir ſanctiſſimus Hieronymus ait, ſenum mutare linguam. Sed argumenti hoc genus idcirco maxime ſcripſi, vt forenſi iuuentuti conſulerem, eique ſtimulos admouerem, vt vix e carceribus prope dicam emiſſa ſtatim optimo ſermoni aſſueſceret, et quantum fieri poſſit, ab intolerabili illa di-

cendi barbarie resiliret. Id quod etiam in caussa fuit, cur mihi persuaderi potuerit, vt haec ipsa oratio typis edita peruulgaretur. Nam quod munus Reipublicae, inquit Cicero lib. 2. de Diuin. afferre maius meliusue possumus, quam si docemus atque erudimus iuuentutem? Dubitari autem vix potest, quin inde consequuturus sit fructus minime poenitendus, si adolescentes nostrae ciuitatis vestro perquam sapienti iudicio, tum etiam, quod magis est, exemplo, hoc ipsum orationis propositum probari intelligant. Vos ergo, qui in altiori isto dignitatis gradu collocati iuuentutem ipsam forensi disciplinae addictam studio laudis et virtutis inflammare debetis, libentibus gratisque animis argumentum huiusmodi excipite. Quod quidem vim, quam ad suadendum ab ingenii mei tenuitate habere non potuit, longe maiorem, vt spero, ab auctoritate vestra obtinebit.

Non

NON ignorabam profecto, si de latinae linguae barbarie, quae iampridem forum occupauit, ea libere dixissem, quae quidem dicenda esse videntur, permultos fore, qui me laboremque meum pro dignitate ipsius fori, tum etiam pro communi nostrae ciuitatis bono susceptum reprehenderent. Satis enim intelligebam, quod etsi res tota, de qua agerem, a nemine vocari posset in dubium, eorum tamen, qui impolitam illam scribendi rationem publice defendunt, tantam fere vbique esse frequentiam auctoritatemque, vt si ex aduerso stetissem, quasi contra fluuium ire voluisse viderer. Itaque non immerito suspicabar, propter dissipatam adeo in vulgus ea de re opinionem me vim nullam in dicendo esse habiturum; nec profuturum magis, quam si surdis, vt aiunt, scopulis canerem. Illud quoque me vehementer vrgebat, vix fieri posse, vt res tam caute moderateque pertractaretur, quin magnam fori subirem inuidiam; cum multi hoc ipso argumenti genere quasi actionem quandam in se constitutam fuisse putarent: proinde minime defuturos, qui me nisi temeritatis, at imprudentiae certe coarguerent, quod eiusmodi genus hominum maxime morosum et irritabile

nulla neque priuatim, neque publice laesus iniuria laceſſiſſem, quorum nec dignitatem ignorare, nec ſapientiam aſpernari debuerim. Quae quidem ſingula quanquam me commouerent plurimum, et ne impeditam adeo dicendi prouinciam ſuſciperem, etiam atque etiam deterrerent; vicit tamen omnem ſiue metum, ſiue pudorem, mihi natura attributum, incredibilis animi dolor, quo carere non poteram, cum viderem in hac tanta literarum luce tantaque diſciplinarum omnium cultura fere neminem eſſe, qui de veteri ſplendore ciuili ſcientiae reſtituendo cogitaret. Dolebam igitur et acerbe ferebam, venerandam legum maieſtatem non modo ab antiqua illa dignitate deſciuiſſe, ſed etiam partim hominum imperitorum ignorantia, partim maleuolorum pertinacia, partim quoque quorundam culpa, qui populares eſſe aut videri volunt, in diem ita deprimi, vt priſtini veſtigium nitoris in ea iam plane nullum recognoſcas. Quamobrem contemptis, quicunque de me tandem futuri eſſent, hominum iſtiusmodi ſermonibus, conſtitui eam hodierno die de ſtylo forenſi orationem habere, vnde et lectionum mearum auſpicium eſſet, et honeſtiſſimi iuuenes, qui ad ampliſſimam Iuris facultatem

in hoc Romanae Sapientiae Gymnasio daturi sunt operam, tempestiue intelligerent, quantum de dignitate fori gloriaque Iurisprudentiae detrahant, qui in iudicialibus caussis emendatam scribendi rationem minimi putant. Quocirca etsi non ignoro, me mihi plus oneris, quam reuera ferre possim, imposuisse, si non modo rem vniuersam ac penitus, sed ex parte complecti voluero; illud tamen, quod animum releuat meum, est iucundissimus iste hominum sapientissimorum conspectus, ex quorum auctoritate praesidium satis firmum mihi fore confido. Multos enim adesse video, tum summo ingenio ac doctrina, tum a forensi vsu atque exercitatione maxime commendatos, quibus lutulentam eiusmodi dictionem non solum non probari, sed ab eisdem vix magno cum stomacho eam tolerari, certo scio. Quorum quidem iudicium, si qua in parte vel orationi meae robur, vel susceptae caussae deerit patrocinium, instar teli mihi erit, quo et aduersariorum audaciam exultantem reprimere, et ciuilis scientiae dignitatem sustinere conabor.

Animaduerti autem, fore mihi in hac causa cum duplici hominum genere negotium. Quorum alii ea sunt austeritate ingenii, vel

odio in optimas disciplinas, vt in foro non aliam omnino dictionem, nisi insuauem illam, rudem ac semilatinam vsurpari oportere contendant. Alii vero etsi in ceteris rebus munditia sermonis delectantur plurimum, in causis tamen id aut minus necessarium putant, aut de industria negligunt, ne fortasse delicatiores esse videantur. Quibus vt ordine vtrisque respondeam; vos primum appello, seueri legum interpretes, qui caput in foro neminem extollere posse censetis, qui literarum elegantia studioque bonarum artium teneatur. Quam tandem iuris regulam, quaenam edicta praetorum, aut de Caesarum scripto sanctionem in medium afferetis, qua quidem caueatur, ne quis in iure dicundo vtatur verbis propriis, significantibus, et ab eorum, qui latine loquuntur, consuetudine non abhorrentibus? Contra ego nullo negotio vobis planum facere potero, castitatem sermonis dicendique proprietatem, non modo ab vsu forensi alienam non esse, sed summis auctoritatibus diuturnaque temporis praescriptione eam ipsam quodammodo praecipi atque mandari? Nam quis ignorat, e quonam fonte ad nos primum defluxerit vniuersa Romani iuris scientia? Nonne de summa viro-

rum doctissimorum sapientia, qui XII. Tabularum interpretationi ea doctrinae laude praeerant, vt eorum domus, vt ait M. Cicero, haberetur veluti totius oraculum ciuitatis? Imo apud omnes in eam existimationem ac sapientiae famam venerant, vt, cum a Graecis primo, tum deinde a populo Romano non alio quidem nomine, quam Sapientes appellarentur. Quis igitur sibi persuadeat, eius ordinis homines inde in vulgus tam praeclarum nomen fuisse assequutos, quod de iure rusticana ac plane inculta oratione populo responderent? Aliud profecto fuit hominum Graecorum ingenium. Nae amabant illi politam dicendi rationem: oblectabantur maxime suauitate sermonis. Proinde Homerus haud visum iri putauit Nestorem summae prudentiae virum, neque Vlyssem, maximum imperatorem, nisi singularem vtrique in dicendo laudem tribuisset. Quid vero de populo Romano? Cui sane emendatum scribendi genus ita placuisse accepimus, vt quos complures ediderat de Iurisprudentia libros C. Trebatius, eques Romanus, homo tum M. Tullii familiaritate, tum etiam C. Caesaris consuetudine atque amicitia celebratissimus, minimi fecerit, quod non admodum eleganter conscripti

pti fuissent. Neque probauit magis, quae Q. Aelius Tubero de publico et priuato iure acute et subtiliter scripsit, quod nonnihil vetustiora et fere obsoleta verba affectauerat. Contra vero quanto honore sunt habiti Publ. Scaeuola, Q. Mutius, Gallus Aquilius, L. Crassus, Ser. Sulpicius, M. Cicero aliique plurimi, qui ad iuris ciuilis scientiam non modo summam eruditionem, sed etiam verborum delectum mirumque latinitatis candorem adiunxerant? An vero quod nobiliori stylo ac ratione minus vulgari scriberent, idcirco aliquid de dignitate iuris eos detraxisse, quisquam sanae mentis iudicauit? Atqui illud de Ser. Sulpicio, vt ceteros missos faciam, proditum est memoriae, eum latinae linguae studium tantopere coluisse, vt quandoque M. Varronem de germana vocabulorum significatione non secus quam de summo negotio consuleret.

At enim aurea fuerunt ista latinitatis tempora, quibus Romae non modo curia et forum, sed theatrum, sed balneae, sed popinae quoque ipsae multo sane felicius, quam nos, latine et intelligebant et loquebantur. Neque illos aetatem plurimam, vt nunc nobis vsu venit, ad vnius linguae notitiam traduce-

re

re neceſſe erat, ſed elegantiores dicendi modos de nutricum ſinu cum lacte prope ipſo accipiebant. Mirum itaque videri non debet, ſi id temporis, quando ſcilicet non tam praeclarum erat, vt ipſe Cicero ait, ſcire latine, quam turpe neſcire, homines ſummo loco ingenioque ad iuris, quod profitebantur, intelligentiam ſingularem pariter ſermonis elegantiam adiungerent. Fac ita eſſe omnino. Neque enim me longius oratione abduci patiar, vt doceam, non eam omnem, qua illi tantopere praeſtabant, dicendi laudem ita fuiſſe natura partam, vt diligentiae ac labori locus haudquaquam fuerit. Satis ſit, quod hac de re Quinctilianus copioſe ornateque diſſeruit. Sed antequam reſpondeam, illud monendos vos eſſe video, veteres illos, quos nominaui paulo ante, viros eloquentiſſimos iurisque peritiſſimos me non idcirco in medio propoſuiſſe, vt ad eorum amplitudinem homines noſtros effingerem proxime, aut vndique conformarem. Illos enim ſingulos, vt de vno M. Tullio Plinius pronunciauit, extra omnem ingenii aleam poſitos eſſe, perſpicuum eſt. Sed vt petita a vetuſtiſſima iuris origine ſapientiſſimorum eiusmodi virorum exempla os tandem occluderent iis, qui palam

palam dictitant, forensem hominem a studio et elegantia literarum alienum esse oportere. Age vero, occasum interitumque suum Romanae linguae splendor obierit; et aureum illud latinitatis saeculum aetas deinde ferro deterior longeque corruptissima consequuta fuerit. Verum in hac ipsa literarum caligine, quonam quaeso scribendi genere in iudiciis homines vsos fuisse putatis? Dicendine rationem puram et emendatam vsurpasse, an vitiosam, an sordidam, de triuiis haustam et plebeculae mores olentem? Equidem si maturius id, quod res est, perpendamus, facile quidem erit comprehendere, tunc summa dicendi proprietate maximoque verborum ornatu, de vniuerso Romanorum iure conscripsisse et Caios et Paulos et Vlpianos et Papinianos et Tribonianos aliosque complures, qui per eam aetatem, intermortua iam prope omni latini sermonis lucem, se forensi operae addixerant; vt eos certe, non mediocris notae scriptores, sed omni literarum praesidio bene munitos fuisse dubitari nullo modo possit. Quantam enim esse constat venustatem orationis atque elegantiam, quam sane continent Pandectae, Codices, Institutiones Nouellaeque Constitutiones, et si quae alia sunt ab ipsis digesta de vniuerso ciuili iure

iure volumina? Quamobrem Laurentius Valla, Romanorum omnium ſcriptorum cenſor acerrimus, non modo eos cenſoria illa virgula ſua mulctare auſus non fuit, ſed etiam libere fatetur, ſe quidem perlegiſſe quinquaginta Digeſtorum libros, ex plerisque iure conſultorum voluminibus excerptos, et relegiſſe cum libenter, tum vero quadam cum admiratione. Primum quod neſcias, inquit, vtrum diligentiane an grauitas, prudentia an aequitas, ſcientia rerum an omnis dignitas praeſtet, et maiori laude digna eſſe videatur. Deinde quod haec ipſa ita in vnoquoque illorum omnia egregia ſunt et perfecta, vt vehementer dubitari poſſit, cui quis ſit praeferendus. His autem nihil eſt, ait, mea ſententia, quod addi adimiue poſſe videatur tam eloquentiae, quam latinitatis et elegantiae, ſine qua caeca omnis doctrina eſt et illiberalis praeſertim in iure ciuili. Quid planius, quid ſapientius, aut quid accommodatius dici poterat ad iugulandam omnino hominum noſtrorum audaciam? Quid? negabuntne, illos ſummam in foro laudem ſuiſſe aſſequutos, vel eo dicendi genere forenſis officii muneri non vndique ſatisfeciſſe? Hoc autem praeterquam quod dignitatem eorum ipſorum, quorum iſti ſeſe interpretes eſſe et dici

dici volunt, et quorum auctoritatem in iudiciis non minus quam aras et focos tuentur, magnopere offenderet, longe alia certe fuit semper, quam sapientissimus quisque habuit de talibus viris, opinio. Illos quippe clarissima iurisprudentiae lumina, ornamenta legum, iudiciorum propugnacula et humanae societatis firmamentum appellant Antonius Faber, Balduinus, Cuiacius aliique plures. Imo Balduinus ipse, homo perquam acri ingenio, nec postrema apud eos, qui in foro versantur, auctoritate, in commentariis suis, quibus institutiones iuris ornauit, illud primo loco admonet, vt singularem Dei Opt. Max. prouidentiam suspiciamus, qui quemadmodum olim eos sempiternae memoriae viros Iosephum in Aegypto, Danielem in Babylonia, Athenis Periclem, Lacaedemone Lycurgum aliosque alibi, ita postea Romae Papinianum ad conseruandam humanam societatem et iustitiae splendorem excitauerit.

At mutata est iam, inquiunt, omnis illa vetus iudiciorum ratio. Desciuit ab elegantia orationis ad formularum quarundam angustias pompa illa forensis; neque nunc vt olim in subselliis eloquentia dominatur, sed iura. Habeant igitur veluti fundum suum grammatici

et

et verborum cenſum et opes elegantiarum. Nos quidem non de verbis, ſed de patrimoniis, non de nominibus, ſed de legatis, de venditione bonorum, de ſucceſſionibus iure noſtro agemus. Illi ſe politos dicendi magiſtros de Ciceronis ſchola euaſiſſe, et omnes lepores, Tulliana omnia myrothecia conſumſiſſe glorientur. Praeclarum ſatis quid nobis eſſe videbimur, ſi multo labore multisque vigiliis contigerit nos haud longiſſime abeſſe ab Accurſii, a Bartoli, aut Baldi gloria, qui tamen grammaticorum iudicio gothice magis quam latine ſcripſerunt. Rerum ſane, non verborum nos vrgeat oportet ſolicitudo. Neque decet cauſſidicorum ſermonem rebus tam grauibus occupatum iuncturis et quaſi ſyllabarum numero inſiſtere: vnoque verbo, ſic a nobis de iure ſcribendum, vt nec diligentiori vocabulorum ſtudio iudicum torqueantur ingenia; neque fit, qui ſenſum omnem orationis noſtrae liberius et ſine artificio excurrentis non probe omnino percipiat. O acutam excuſationem! O defenſionem ſingularem! Enimuero id primum libere dico, eos fruſtra conari praeclara illa Bartolorum ac Baldorum nomina quaſi murum nobis opponere, vt ex tam magnis auctoritatibus ha-

beant firmissimum inertiae suae propugnaculum. Excusant quippe illos tum etiam alios ipsamet tempora, quibus non modo omnis latina lingua interciderat, sed quod magis dolendum, quodque omnes deplorant eius aetatis historiae, talis peruaserat in omnium animos stupor, talis dementia obliuioque literarum, vt de iis temporibus nihil omnino extet hominum memoria dignum. Quapropter in summis de eo genere viris, qui certe in ciuili scientia sunt longe omnium principes, si sermo rudis et gothicus, si historiarum literarumque ignorantia deprehendatur, condonanda profecto sunt illis, pro temporis ipsius ratione: cum praesertim istiusmodi errores pura exactaque Romani iuris notitia, quam diu sepultam nobis immenso labore restituerunt, cumulatissime compensauerint. Quaenam itaque, malum, est ista amentia, in tanta nunc literarum luce, gothicam eius saeculi barbariem pugnacissime tueri velle, quam reuera Bartolus ipse si reuiuiscevelle, quam reuera Bartolus ipse si reuiuiscet, iam omnino detestaretur summoque studio expurgaret? Et sane quid est, quod teterrimum illud loquendi genus minime sibi retinendum fore putauerint, quotquot proxime consequenti aetate, pari iudicio, acumine

mine ingenii et singulari industria de ciuili iure scripsere? Imo vero quid purius, quid luculentius, quid suauius ea oratione, qua quidem vsi sunt viri illi ciuilis scientiae consultissimi, Alciatus, Pancirollus, Goueanus, Cuiacius, Budaeus, Duarenus, Tiraquellus, Contius, Hotomannus, Brissonius aliique complures, qui ad ius Romanum exornandum tantam literarum vbertatem attulerunt, vt ex eorum vigiliis maximum eidem accesserit ornamentum? In hos profecto solertissimos et quasi maiorum gentium doctores intueri, hos sibi duces proponere homines nostri deberent; non autem ignauiae suae ab eo praesidium quaerere, quod temporum potius quam hominum culpae tribuendum esse videtur.

At multo vehementius commouet me, quod aiunt, in foro non verborum, sed rerum habendam esse solicitudinem. Itane nos amentes, aut imperitos iudicant, vt minime intelligamus, qualis rerum, qualis verborum debeat apud ipsos esse solicitudo? Non aequalem vtramque contendo. At nego, alterutram posse negligi. Cum enim omne ius aut in verborum interpretatione, aut aequi prauique discrimine positum sit, quotus quis-

que non videt, quantum momenti habeat verborum sensus et optima vocum ipsarum intelligentia? Sunt tibi res pecuniaeque nostrae curae atque solicitudini. Esto: at voces, quibus res ipsae continentur, earumque sunt indices, minimi putas? Non illum ego mehercule optimum statuerim imperatorem, cui sane certamina, aut obsessio murorum maxime cordi essent, interea vero nulla de commeatu, nulla de delectu militum cura teneretur. Quoties autem praepostere concepta verba impedimento sunt, quo minus difficillimae quaestionis nodus praecidatur, quae diu et altercantium fortunas et iudicum ingenia torsit? Dicet aliquis: huic etiam incommodo bene ac sapienter maiores nostri consuluerunt. Complura per eorum manus volumina accepimus, in quibus singula, quae propria sunt iuris, vocabula enucleate distincteque adnotarunt. Ex his statim intelligas, quid peculium, quid tutela, quid familia, quid vsucapio et huius generis alia fere infinita. Habeant itaque sibi suas grammatici voces, suas ad caelum efferant etymologias, non hercle inuidemus. Homines, vt video, acuti rem plane confectam putant. Non ita tamen olim sapientiores illi legum interpretes

de

de hoc negotio iudicarunt. Praestantiorem longe aliam de minimo isto grammaticorum regno opinionem habebant. Quandoquidem non ea duntaxat, quae ad ius ciuile pertinerent, vocabula explorari oportere censebant, sed crebras quoque inter se quaestiones de proprietate latinarum vocum earumque primaeua significatione agitabant. Hinc ab iisdem mira quadam ingenii subtilitate quaesitum, quid vitium differret et morbus, quid hostis apud veteres significaret, quid manubiae, quid fundus, quid municipium aliaque fere innumera, quae cum ab A. Gellio, tum ab Andrea Alciato et Guliel-mo Budaeo elegantissime recensentur. Ex huiusmodi enim notitia futurum fuisse putabant, vt Romano iuri et lumen et ornamentum accederet.

Atqui relicta vulgi barbarie, si politum dicendi genus prosequeremur, pauciſſimi iam nostra intelligerent. Quid si ad forensem vsum non contortam et acrem orationem postulo, quae Tullianam amplitudinem exprimat, aut neruosam Sallustii breuitatem, nec quae Taciti aculeos emittat; talem vero, vt accurata tametsi et distincta, plana tamen, inaffectata, aequabilis et sine fastu fluat? Estne

quisquam tam plumbeus, aut sic ab humano sensu alienus, qui lectionem huiusmodi non longe facilius perciperet, quam indigestam illam, confusam, desultoriam aut etiam, si Diis placet, soloecismis compluribus aspersam? Quae quidem quam absurda plerumque sit, vel illud argumento esse poterit, ingenuos quosdam, quos ego noui, optimo ingenio adolescentes, qui legum facultati summa spe ac voluntate nomen dederant, haud multo post perterrefactos ab ipsis barbarorum castris aufugisse. Cum enim, vt mihi narrabant, Ciceronis, Caesaris, Terentii aliorumque his similium libris ab ineunte fere aetate educati, latinitatis illius candore ac perspicuitate mirum in modum tenerentur, tam inconditas deinde atque horridas cauſſidicorum ductorum suorum voces diutius ferre minime potuerant: ad quas sane intelligendas nouam sibi, vt dicebant, grammaticam, nouos commentarios conquirere necesse erat. At nemini sese obscuros in dicendo fieri velle dictitant. Optime est. Cur tamen ea pariunt verborum monstra, quae necessario rebus obscuritatem, non lumen afferant? Illud potius nobis persuadeant, se operam dare, vt extra forum a nemine queant intelligi, haud

valde

valde diſſentiam. Poſſem equidem hoc loco forenſem aliquam ex iſta ſcoria paginam in medium afferre, quae plus nimio fortaſſis orationi meae fidem faceret. Sed cum dies bus ſingulis in omnium ferme oculis ſcriptiones de hoc genere verſentur, non eſt, cur rem ipſam, quae nonnihil inuidiae et offenſionis habere videtur, verbis pluribus agam. Venio itaque ad argumentum officiorum et obſeruantiae plenum. Verentur nimirum, ne elegantius ſcribendo iudices, homines quidem plurimum occupatos, moleſtia afficiant. Proh Deum immortalem! vbinam gentium ſumus, vt indicem talis ſtultitiae vocem audiamus? Elegantiane ſermonis ſatietatem affert, quisquiliae vero delicias et voluptatem? Delectat, credo, iudices ipſos ſiccitas illa et puerilis quaedam dicendi inſulſitas, in qua cum prope nihil exiſtat, quod non obſcurum, aut alieniſſimo loco ſit poſitum, neceſſe eſt plane de auctoris ſententia diuinare. Delectat ipſos videlicet oratio non ſimplici puroque ſtylo compoſita, ſed verboſa, ſed tumultuaria, ſed leuibus minimisque rebus redundans. En quam praeclare ſentiant de ingenio ſtudiisque ipſorum iudicum hominum ſapientiſſimorum, quos quidem aut in literis hoſpites omnino

iudicant, aut sic in illas infestos, vt teterrimum verborum paedorem sincera electaque dictione iucundiorem ipsis fore arbitrentur. Percommode tamen in eos cadit iniqua eiusmodi opinio atque iniuria. Haud immerito luunt (dicam magis aperte id, quod sentio) indulgentiae suae poenas. Nam quoties sibi illepida ista ac perturbata afferuntur, ad quorum ambages expediendas est non minus quam labyrinthum Cretensem ingressis laborandum, quid est per Deum immortalem! quod eadem omnino ab se non reiiciant, et ad Orbilii ferulam tam malos grammaticos non dimittant?

At quaerunt, quo pacto fieri possit, vt id temporis aliter in foro quis scribat; cum talis scribendi ratio sit iam omnium vsitatissima, cum vbique consuetudinis ius quoddam obtineat, cum postremo non secus hodie plerique omnes faciant. Mente iam recreor, quod aliquid tandem in medium attulerint, quod non leue omnino videatur. Excusandi sunt plane: communi quodam vsu et necessitate peccant, non animo ac voluntate. Inurbane scilicet impoliteque scribunt, quia nesciunt elegantius. Parcius autem vellem nobis de consuetudine verba facerent. Quis enim

enim est tam mediocriter in re forensi versatus, qui non intelligat, quam tenue sit et infirmum, quod ab ipsa consuetudine petitur, argumentum? Multa sane conueniant necesse est, vt aliquid illa valeat. Quod si forte fuerit varietate temporum interrupta, neque apud omnes ita recepta, quin in contrariam quoque partem aduersentur multa, vim habet tum mehercule nullam. Cum itaque iuris scientia ab ipsa originis suae vetustate fuerit semper, vt satis iam vidimus, cum omni literarum genere coniunctissima: cumque extiterint viri grauissimi atque omni laude digni, qui, vix reuersis postliminio optimis disciplinis, in expurgando statim, ornandoque Romano iure magnopere desudarunt, cum denique per hanc aetatem videamus, quod in hac ipsa Vrbe homines summo ingenio et grauitate praediti humanitatis studia ad legum exercitationem adhibent; frustra nobis vsum gentium communem obiiciunt, et consuetudinem istam antiquitate venerandam tantopere praedicant. Sed plerique non longe secus scribunt. O praeclaram defensionem! Quid? multitudinis exemplum, quod quidem Seneca omnium pessimum pronunciauit argumentum, praesidio sibi esse volunt?

Enimuero indigna semper visa fuit optimo quoquo viro vox istiusmodi atque consilium. Ponderanda sunt hominum iudicia, non autem numeranda. Esto, pauci sint per hos dies, qui literarum latinarum studium ad forensem vsum traducant: nonne horum paucissimorum iudicium, virtus, grauitas et sapientia pluris apud te esse debeant, quam ceterorum omnium plurimorum barbaries atque infantia? Neque enim negare quis poterit, quin hi pauci multorum sint instar imperatorum, qui primos in foro ordines ducunt: cum ad ipsos grauissima quaeque cauſſa deferatur, cumque hi ceteris non modo scientia praeluceant, sed ingenii quoque fama omnium maxime floreant.

Quae cum ita se habeant, quis aequo animo ferre possit leguleios illos, homines infantissimos, qui cum omne literaturae genus nihili prorsus faciant, praeterquam quod poetas, oratores, philosophos, mathematicos tanquam viles animas et inutile terrae pondus contemnunt, eos praeterea derident sapientissimos viros, qui de iure venuste latineque scribunt, quasi in foro desiperent, quod non barbari, quod non illorum similes esse studeant? Hos itaque festiui isti et arguti appellare per risum et iocum au-

audent homines Ciceronianos, aut sesquipedalium verborum consectatores, aut etiam, quod multo indigniſſimum est, leuia ac ventosa capita, quae haud satis ratione constent. Ita profecto ipse ego viro, in hac nostra ciuitate tum iuris doctrina et literarum humaniorum elegantia, tum etiam librorum editorum gloria clariſſimo, ab aliquo, nescio quo, enugatoribus istiusmodi illudi atque obtrectari, multis de foro, plausu comprobantibus, vidi. Nequiorne impudentia excogitari potest, quam quod ab ipsismet literarum ornamentis, quae maxime commendare deberent, occasionem arripiant homines grauiſſimos contemnendi atque irridendi? Sed in hac parte aliquo pacto fortasse excusari possunt. Nauseant facile stulti id, quod ignorant; vtque putentur sapere, caelum ipsum, vt Phaedrus ait, vituperant. Quod vero longe grauiſſimum, quodque nullo modo ferendum esse videtur, illud sane est, quod adolescentes optimo ingenio et a musis minime alienos abducant ab amore studioque literarum, et quantum fieri potest, distrahant. Qua quidem in re quis summam istorum fraudem malitiamque non videat? Conantur porro in ceteris ea ipsa virtutis semina elidere, quo-

rum

rum vberes fructus sterilitati suae probro aliquando fore extimescunt. Omnes incultos, omnes balbos, omnes gregis sui simillimos esse cupiunt. Quocirca vulpeculae illius calliditatem haud inscite imitari videntur, quae, vt in fabulis est, quo caudae sibi interceptae dedecus alieno cohonestaret exemplo, ceteras quoque vulpes enixe cohortabatur, vt eam pariter sibi abscinderent; quippe quae vsui non esset, sed oneri. Ita fere solent homines isti fallaci quadam beneuolentiae specie adolescentium animos nondum satis consilio et ratione firmatos aggredi, et saepe dignitatem fori, quod quidem minime reprehendo, ad caelum extollere, saepe de literarum studiis declamare tanquam de re non modo nihili prorsus facienda, sed quae etiam fortunam hominum forensium deprimat. Nugas ergo dictitant literas esse et delectamenta puerorum: Philosophiam vero, astrorum notitiam, Geographiam ceterasque eius ordinis disciplinas otiosi hominis occupationem: omnia denique isthaec superuacanea ac leuiora ab eo repudiari oportere atque contemni, qui aliquando familiam in iure et legibus velit ducere, et foro supra ceteros dominari. Itane vero? Fieri non potest, vt quis euadat magni nomi-

nominis iureconsultus, nisi musis, nisi elegantioribus studiis valere iussis, incultam, caecam ac rerum paene omnium ignoratione miserrimam vitam traduxerit? O nequitiam hominum plane veteratoriam! Adeone sibi persuadent, posse per summam fraudem amoliri ea, quibus ipsi carent, bonarum artium ornamenta, vnde Italiae dignitas, vnde nostrae ciuitatis splendor, vnde Christianae religionis praesidium et firmamentum constituitur? Verum enimuero errant, vehementer errant, si in hac Vrbe, perantiquo optimarum artium domicilio, per hos cuniculos efficere aliquid posse putant. Habent enim adolescentes nostri plurimos, quos Romae intueantur, clarissimos viros, cum iuris, tum omni literarum genere ornatos, quorum iudicio atque auctoritate peruersas istiusmodi opiniones omnino refutari videant. Habent Pontificem Maximum ante oculos, virum sane literatissimum, cui difficillima Christianae reipublicae tempora impedimento non sunt, quo minus honestissimas disciplinas in diem amplificet, et quam maxime potest, illustret. Habent denique saxa haec ipsa et parietes, qui veteris doctrinae gloriam adhuc spirantes, hominum tam desipientium vocibus prope reclamitant.

Qui-

Quibus sane lapidibus vtinam vis inesset, exulcerata istorum hominum capita ad sanitatem reuocandi, aut saltem sic deterrendi, vt sese tandem silentio contineant: quemadmodum inepto illi apud Petronium versificatori Eumolpo contigisse dicitur.

Sed longius fortasse, quam par erat, dicendo prouecti sumus. Tempori iam consulendum, cuius finibus reliquam orationis partem ita circumscribi sentio, vt eam breuiter et quasi summatim percurrere necesse sit. Quanquam et hoc satis commode cadit: neque enim cum tardis et conclamatis ingeniis erit nobis deinceps laborandum, aut cum iis, qui literas e ciuitate exturbare conentur atque in exilium eiicere; sed cum honestissimis viris, in quibus cum dignitate forensi coniunctum est maxime omne liberalium artium decus et ornamentum. Delectantur hi pluri-mum, vt antea dixi, candore latinitatis, amant purum scribendi genus; quod tamen in iudiciali sermone, nescio qua consuetudine, aut opinione ducti, negligunt. Quocirca hi, mea quidem sententia, longe grauius peccant, quo maior est in foro eorum ipsorum auctoritas: cum aliis dare videantur ansas ad forensis munditiam orationis iure aliquo reprehen-

hendendam. Sed hoc omitto. Quid autem eſt, quod ipſi tam humiliter demiſſeque ſentiant de dignitate Iurisprudentiae, vt deteriori eam loco ac ceteras facultates eſſe velint? Quis enim populus, quae gens, quae hominum natio memoria noſtra eſt adeo inculta atque omnis humanitatis tam expers, vt non exhorreſcat ac magnopere deteſtetur foeditatem illam dictionis, quae ab aetate ac moribus barbarorum veluti tabes quaedam mortifera defluens, in ſingulas quidem ſcientias inuaſerat? Hinc proinde fit, vt iam tranſalpinae gentes, tum etiam Italia fere vniuerſa de Dialectica, de Philoſophia, de Geometria, de Medicina ceterisque iis bonis artibus libros ſcribat luculenter et ſingulari quadam proprietate ſermonis. Quod igitur communiter in omnibus aliis facultatibus turpe ac vituperatione dignum eſſe cenſetur, id in iure ciuili non inhoneſtum eſſe videatur? At peculiares ſunt aliquae iuris formulae, quae etſi cum caſtitate latinitatis maxime pugnant, nullo tamen modo dimitti poſſunt, aut immutari. Quaſi vero id non ſit facultatis cuiusque proprium, vt quibusdam certis vnaquaeque vtatur vocabulis, et ſuis quodammodo loquatur vocibus. Sunt enim non ſolum cuiusli-

bet

bet linguae, verum etiam artium singularum propria quaedam, vt ita loquar, idiomata. Habet suas Dialectica voces, habet Geometria, habet quidem Medicina. Cum itaque abunde satis fuerit iam vsu atque experientia comprobatum, liberaliſſimas eiusmodi disciplinas ab elegantia latini sermonis non abhorrere; dubitabitisne, quin pari splendore ornatuque verborum de Romano iure valeat disputari? Quanquam ego nunquam in eorum sententia fui, qui, si quod verbum ab antiquis minime vsurpatum offenderint, aut quod a Cicerone ipso, aut a Caesare, seu primo quouis alio eius aetatis scriptore non fuerit Romana ciuitate donatum, stomachantur statim, fastidioseque librum deponentes, clamitant, auctori diem violatae latinitatis esse dicendam. In hoc autem isti, meo quidem iudicio, faciunt et arroganter et imperite. Quis enim non videat, quod rebus nouis inuentis, plura quoque noua vocabula inducere necesse fuerit? Quae tametsi olim minime recepta ac prorsus inusitata, tamen haud idcirco nunc minus latina, aut barbara censeri debent: cum iampridem ab ipso hominum doctissimorum consensu auctoritatem et ius quodammodo antiquitatis obtinuisse videantur.

Quam-

Quamobrem elocutionem forenſem non puris putis aurei ſaeculi reliquiis vsque adeo conflatam volo, vt quamlibet vocem, non ea aetate natam proſcribendam fore iudicem: ſed mihi ſatis erit, quod ipſa verbis propriis conſtet iisque dicendi modis, quos vſus literatorum probarit: quod perturbata conſtructione non obſcuretur, quod temperata ſit numeris, quod denique ſuauis et quadam cum lenitate profluat. Etiamne hic homines iſti delicatiores cunctantur? Adhucne animis et cogitatione haeſitant? Quid vero ſi ſtylum grauibus verbis ac ſapientiſſimis ſententiis ornatum poſtulaſſem, quali vſum fuiſſe videmus Franciſcum Hotomannum, aut immortalis memoriae virum, Iacobum Cuiacium, aut Annaeum Robertum, aliosque clariſſimos ſuperiorum temporum iureconſultos? Inſigniter iam ſplendideque hoc tempore quaeſtiones ſuas expediunt plerique medici atque philoſophi, de iure autem ac legibus niſi inornate, niſi incondite duriterque disceptari non poterit?

At nobis ob maxima negotia tantum otii non ſuppetit. Nemini ſane dubium eſſe poteſt, quin forenſis vitae genus plenum ſit curarum, plenum laboris. Tot enim ſunt iuris anfractus, tot latebrae, tot veritatis oppu-

gnandae cuniculi, vt quemadmodum bella gerentibus et adeundi sunt asperi colles et munitissimae ciuitates expugnandae, apertoque saepius campo totis viribus decertandum; sic etiam, qui in iudiciorum castris versantur, non certaminis vnius incommoda, sed multa et grauissima et quotidiana subeant oportet. Quamobrem magnus ille fori ductor et quasi signifer M. Tullius, qui per summos labores in acie illa forensi plures vnus victorias, quam ceteri pugnas, numerauerat, illud toties monet, praesertim vero in Orat. pro M. Coelio, in isto scilicet vitae genere omnes omittendas esse voluptates, relinquenda studia delectationis, ludum, iocum, conuiuium ac sermonem paene familiarium deserendum. Itaque si homines nostri tam magna ingenii contentione tantoque animi impetu ad fori negotia incumbant, vt omnibus sibi voluptatibus, omnibus ludis interdictis, vix spiritum et vitam ducant: concedenda quidem est ipsis aliqua sermonis incuria: neque valde curandum, si non accurate eleganterque scribant. Sin autem tam multis negotiis occupati, totque caussis susceptis: quanquam nolo hac de re curiosius inquirere. Esto per nullam paruam moram eisdem liceat esse otiosis, imo

vero

vero ſemper occupatiſſimi viuant ; an condonanda erit idcirco ipſis leuitas illa, ne dicam inſania orationis ? Quae tanta eosdem quaeſo neceſſitas impulit, vt plures reciperent cauſſas, quam dicere accurate poſſint et cum dignitate ſuſtinere? An lucri cupiditas? At ſi maiorem vim apud eos pecunia habeat, quam nominis fama, aut exiſtimatio fori, quid eſt mediusfidius, quod a talibus hominibus metuere non debeamus? Quod facinus, quod ſcelus ab eorum manibus abeſſe poterit? Certe ſi extra contentionem ratio mihi habenda eſſet cum iis, qui hoc pacto vtilitatem honeſtati anteponendam eſſe arbitrantur, illud primum ab ipſis quaererem, vtrumne per eam ſcribendi ſocordiam e re ſua ſeſe facere putent? At enim diligentius ſcribendo multo pauciores cauſſas expediremus. Sit ſane ita. Num quis ignorat, adamantem quamuis vnum et perexiguum, ſaxis tamen multis et ingentibus longe pretio atque aeſtimatione antecellere? Haud valde ſapit, qui vel vnam auri maſſam compluribus ferramentis pretioſiorem eſſe non iudicet. Rem planius agam. Longiſſime quidem a propoſito aberrant, dum ſibi perſuadent, ab iis quaeſtus non vberrimos fieri, qui pure emendateque cauſſas dicunt.

Hi profecto clariſſimi ſolis inſtar vsque adeo foro praelucent, vt omnium oculos ad ſe conuertant; aut imperatorum fortiſſimorum ſimiles eſſe videntur, quorum conſilium in conſultationibus, quorum ſapientia in iudiciis, auctoritas in ſubſelliis maxime dominetur. Equidem incredibile dictu eſt, quam magnum nomen afferat vel vnius cauſſae patrocinium ex ipſis ſtudiis humanitatis ſplendide et luculenter pertractatum; vt proinde mirum eſſe non debeat, ſi haud raro videamus in foro homines adoleſcentes iis palmam praeripuiſſe, qui in iudiciis diu verſati prope inter ſubſellia conſenuerant. Nam oratio eſt quoddam animi noſtri ſpeculum, in quo non adumbratam modo, ſed etiam veluti expreſſam humanae ſapientiae imaginem intuemur. Hinc accepimus Socratem, hominem ſane ſapientem, ad explorandum ſuorum ingenium penitusque inſpiciendum, aliud nihil ab illis poſtulare conſueuiſſe, quam quod loquerentur. Vix enim fieri poteſt, vt certum quoddam ſapientiae, aut ſtultitiae intus latentis veſtigium non ex ipſamet oratione foras erumpat atque appareat. Ieiunitas enim illa elocutionis miſera atque inſulſa indicio haud obſcuro eſſe ſolet leuioris animi, ſiue homi-

hominis si non aetate, at certe iudicio adolescentis. Quapropter Horatius in praeclara illa ad Pisones epistola statuit, ibi duntaxat repertum iri recte scribendi et principium et fontem, vbi existeret mens et sapientia. Cum igitur proprietas integritasque sermonis tam vberem existimationis fructum pariant; cumque ex earum neglectu facile soleant in summum discrimen adduci ingenii fama, iudicium, grauitas atque consilium; tantum abest, vt nitide politeque scribentes aliquid de iudiciario quaestu deperdant, vt ad ipsam dicendi elegantiam spe lucri ampliſſimaque pecunia vel maxime incitari videantur. At fortasse plus aequo de re minime dubia diximus.

Quod vero magis animum angit meum, multoque vehementius perturbat, est sane publica ciuitatis nostrae macula atque infamia, quam quotidie susscipit de teterrima istius scriptionis colluuie. Cum enim ea sit dignitas Vrbis atque maiestas, vt, quemadmodum olim imperio, ita nunc religione ac legibus in omnibus fere gentibus dominetur; illud necessario consequitur, vt hic maxima et frequentissima fieri debeant iudicia, vbi est fons et sanctitas legum, vbi

sanioris iurisprudentiae responsa, vbi demum populi ac Reges sacrorum canones, decreta et constitutiones Pontificum Romanorum saepissime consulunt. In hac igitur tanta iudiciorum celebritate tantaque iuris tum humani tum diuini disceptatione cum Romae multi de foro sint, qui grauissimas de his rebus quaestiones, nulla adhibita scribendi cura, solute oscitanterque pertractant; ecquis non videat, quantum de existimatione forum ipsum ac populi Romani nomen amittat? Etenim plurima istius generis scripta non modo Romae in dies singulos exeunt et in vulgus emanant, sed quod longe deterius est, apud exteras quoque gentes haud raro peruagantur, quae ab inusitata ista scribendi negligentia de omni pariter studiorum nostrorum ratione pessime iudicant. Cum enim plerumque sibi per locorum interualla non liceat ad Vrbem accedere, neque videre, aut alloqui homines nostrae ciuitatis sapientissimos, neque etiam congressus celebratissimos frequentare, vbi de studiis humanitatis et eloquentiae, vbi de re poetica, de notitia veterum numismatum, de nouis philosophorum inuentis aliisque pulcherrimis rebus summo ingenio ac puris lectisque verbis

bis dicitur; in hanc facile ſuſpicionem veniunt, vt ſingularis illa latinarum literarum elegantia, quae olim Romae tantopere colebatur, in eam ipſam iam commigrarit barbariem, quam hodie permulta olent cauſſidicorum Romanorum volumina. Neque id ſane immerito. Nam ſi homines, qui diu in foro verſati ſunt, habiti fuerunt ſemper omnium opinione perquam docti inſigniterque ſapientes; iſti autem ſic latine ſcribant, vt id neſcire prorſus videantur, quid demum de ceteris nefas erit in eo genere ſuſpicari? Huc quoque error alter accedit, quod ſaepe in Vrbe magna hominum iſtorum ratio habeatur, eorumque conſilium atque opera non ſecus plerumque exquirantur, quam ſi in tota ciuitate nemo ſapientior exiſteret, aut grauiſſimum quodque negotium eorum ipſorum iudicio, veluti Atlante caelum, niteretur; proinde fit, vt exteri homines exiſtimationis eiusmodi ſpecie inducti ſoleant de ceterorum ingenio ac virtute coniecturam longe omnium peſſimam facere. Ex ipſa autem tam peruerſa de rebus noſtris opinione natam potiſſimum fuiſſe, arbitror, earundem exterarum gentium arrogantiam prorſus intolerabilem, vnde noſtra deſpicere conſueue-

runt, et prae nobis vnae omnino ſapere ſibi videntur. Quandoquidem ſe ſuaque tam magnifice circumſpiciunt, vt iam non modo poetas et oratores, vetuſtiſſimum luculentiſſimumque Italiae noſtrae patrimonium, fundum ſuum factos fuiſſe dicant, ſed etiam nos de omni latinitatis ſtatu atque elegantiae dignitate deieciſſe glorientur. En quem in locum deducta eſt vetus Italiae gloria: en quo nominis noſtri fama deceſſit ob peruagatam iſtam ineptiſſime ſcribendi licentiam! Huic autem malo niſi aliquando tandem occurratur, nemo non intelligit, in diem magis ludibrio laeſum iri Italiae ipſius nomen, et quod dolendum eſt maxime, immortalem quoque ampliſſimae huius Vrbis exiſtimationem. Quae quidem Vrbs clariſſima ac ſapientiſſima, Chriſtiani imperii caput, ſi loqueretur, nonne vos, ampliſſimi PP. veſtramque fidem, quantum poſſet, hac vna voce obteſtaretur? Quod olim rapuit Gothus, quod incendit Hunnus, quod late Vandalus vaſtauit, nae mihi multo minoris ſtetit, quam ſi nunc meo nomini haereat ignauiae macula aut ignorantiae ſuſpicio. Vos igitur, qui ſacramento legum idcirco obſtricti eſtis, vt iniurias ab vnoquoque propulſaretis, quousque demum

demum illatum mihi a barbaris hominibus tam acerbum, tam graue vulnus inultum esse patiemini? Illa ego, quae olim non modo domicilium, sed magistra, sed parens literarum, ceteras omnes gentes instituebam, haud minus certe sapientia, quam imperio ipsis praelucens, nunc me videam dignam, cuius fortunam ipsaemet exterae nationes illudant, et propter imperitorum nonnullorum socordiam veteris omne dignitatis nomen amittam? Per illa vos ego grauissima senatusconsulta, per ea sapientum responsa, quae summa religione colitis, per ingenium, per fortunas vestras vos oro atque obtestor, ne pulcherrimam legum facultatem tam illotis manibus contrectari sinatis. In vestra quidem potestate positum esse scitote, irruenti barbariae frenos iniicere. Praecludite in hoc Romano gymnasio ad iuris dignitatem aditum iis, qui plane latine nesciunt. Prohibete domo vestra iuuenes, qui non appositе scienterque scribunt. Loquiminor saepe de laude, saepe de gloria iureconsultorum vestrorum, qui optimis temporibus floruerunt. Hos vestris adolescentibus imitandos proponite: horum vestigiis vt diligenter insistant, etiam atque etiam cohortaminor. Profligatam ita fori barbariem, vi-

debitis ac breui pristinum splendorem legibus restitutum.

Haec, vel horum similia essent, P. C. verba, quibus ampliſſima haec Vrbs, modo vocem posset emittere, opem vestram non postularet tantum, verum etiam flagitaret. Quibus cum mihi grauiora non suppetant, aut quae sperem maiorem vim esse habitura, vt tandem faciam dicendi finem, ad hos optimos adolescentes humanitatis et eloquentiae studioſos, quorum potiſſimum cauſſa, vt initio iam dixi, haec omnis oratio mea instituta fuit, me conuertam, eosque sane, nulla inducta persona, sic alloquar. Permagna quidem sunt praemia, iuuenes, quae vobis olim in hac ciuitate et ingenium vestrum et fori dignitas pollicentur. Nolite tamen per Deum immortalem! pati, vt hominum barbarorum exempla ab hoc susceptо gloriae cursu vos deturbent longiſſimeque deducant. Contemnite istorum sermones et voculas, quibus temere audent bonis artibus obtrectare. Imo ad honestiſſimam legum facultatem viam vobis muniendam esse statuite, non hercle barbarie ac desidia, sed sincera latinitate, sed eloquentia, sed studiis honestiſſimis literarum. Haec vna vobis tam arduum iter mo-

lien-

lientibus sint peramplum splendidumque viaticum. Haec sint lauta et luculenta supellex, quae ad vsum tam ciuilis, quam Pontificii iuris promatur. Itaque ex optimis quibusque scriptoribus vim dicendi et proprietatem arripite, quae lucem rebus incredibilem affert: praesertim autem ex Tullio, qui propter ingenium et eloquentiam in iudiciis regnare dictus est. Ab ipso vires et impetum orationis, ab ipso elocutionis ordinem et ornatum addiscite eamque dicendi facilitatem, qua nihil iucundius, nihil dulcius inueniri potest. His autem ornamentis instructi, ad eorum quidem iureconsultorum gloriam propius accedetis, qui non minus liberaliſſimis studiis, quam legum doctrina floruerunt, digni propterea omni laude ac memoria hominum sempiterna. Sed quid ego vobis antiqua repeto? Quasi vero hic magno numero adesse non videam iuris perinde scientissimos ac literatissimos viros, quos vobismet imitandos proponere possim. Adest scilicet hic lectissimus iurisperitorum senatus, sacrae Consistorialis aulae Aduocati ac fori Romani lumina: adsunt hi Principes Eminentissimi, qui praesentiae suae splendore ac maiestate clariorem hunc diem illustrioremque nobis efficere per

sum-

summam humanitatem voluere. Hi sane omnes ad hanc ipsam, quam videtis amplitudinem dignitatis, ad hoc tantum gloriae fastigium, non per inertiam, aut per literarum odium et contemptionem, sed per summum laborem, per studia optimarum artium forensi exercitatione coniuncta magna cum laude peruenerunt. Hos igitur perpetuo constanterque vobis, clarissimi adolescentes, ante oculos ponite. Horum fructuosos labores, horum praeclara studia dies noctesque cogitate. Sic enim aliquando fiet, vt vos quoque ad hanc ipsorum laudem et dignitatem, quod vobis felix fortunatumque sit, iure aliquo aspirare possitis.

DE

DE

VSV ET NECESSITATE ELOQVENTIAE

IN

FORO ET HODIERNIS IVDICIIS

ORATIO VI.

HABITA VI. IDVS NOVEMBRIS

AN. M DCC XVII.

Sächsische Landesbibliothek – Staats- und Universitätsbibliothek Dresden http://digital.slub-dresden.de/id368268268/211 gefördert von der Deutschen Forschungsgemeinschaft DFG

MIRANTVR nonnulli, quid cauſſae ſit, quod pro tanta eloquentiae dignitate tantisque profeſſorum laboribus, neſquaquam ſatis multi adoleſcentes forti et magno animo inueniantur, qui, ad pulcherrimam dicendi facultatem, omnem vim ingenii omnemque induſtriam conferant. Verum meo iudicio mirentur potius, ſi quem hoc tempore ad ſubſellia haec noſtra accedentem, quam ſi aut a nobis abhorrentem, aut ipſius eloquentiae ſtudium tanquam leue ac minime fructuoſum contemnentem videant. Nam vt omittam de ceteris cauſſis dicere, nemo veſtrum ignorat, quaenam opinio his temporibus non apud barbaras gentes, ſed in hac ipſa ciuitate, in vrbe Roma de eloquentiae ſtatu inueterauerit. Percrebuit enim ore atque ſermone omnium, eloquentiae vſum prope omnem iam de medio eſſe ſublatum; eiusque fines adeo anguſte iam circumſcribi, vt ſi ſacras conciones, quae ad populum habentur, aut laudationes quasdam, quae ad Principes fiunt gratulandi cauſſa, vel in eorum funeribus exornandis excipias, nullus amplior pateat locus, vbi ea ſatis valeat exſpatiari. Dominabatur illa quidem olim in roſtris, latiſſime regnabat in foro, eaque fere cauſſa in

disceptatione vincebat, quae patronum inuenerat eloquentiorem. Nunc autem immutata ſubſelliorum forma, iudicia hac noſtra aetate ita exercentur, vt in eis nihil oratorum facultati tribuatur. Cum itaque ad forenſem gloriam alius iam tenendus ſit curſus, alia via; fruſtra adoleſcentes noſtri, qui in hac ciuitate ad hanc tantam ſpem aluntur, fruſtra, inquam, diutius in hac palaeſtra verſantur. Non eſt ſane, cur hi ſummo ſtudio tantisque vigiliis in eloquentiſſimorum oratorum lectione occupentur: nec laude digni, qui multum aetatis atque induſtriae in ea facultate ſibi comparanda ponunt, cum qua nulla iam intercedit cum iure ciuili affinitas nullumque vinculum ſocietatis. Haec fere ſunt P. C. ea, quae plerique de foro homines crebris ſolent vſurpare ſermonibus. Haec prope omnium adoleſcentium noſtrorum de eloquentiae ſtatu vna vox atque ſententia. Ego vero aut rudis omnino ſum rerumque humanarum vndique ignarus, aut iſtiusmodi opinionem inanem prorſus ſtultamque eſſe et haberi oportere, contendo. Nam eſto, immutata ſit vetus illa iudiciorum ratio, eſto, nunc cauſſarum actiones contineantur domeſticos intra parietes; neque eam populi frequentiam plauſumque

que adſciſcant, in quo oratorum ſtudia maxime niti ſolebant: adhuc tamen in hoc ipſo, quo nunc vtimur, iudicandi genere, dico, interdictam hodie foro non eſſe eloquentiam, ſed in iudiciis quoque noſtrorum temporum ſuum eſſe eloquentiae vſum, ſuam vim ſuamque, vt paucis dicam, neceſſitatem. Quod quidem totum etſi primo multis incredibile eſſe videatur, ſpero tamen fore, vt hac ipſa re nihil verius, nihil rationi magis conſentaneum eſſe intelligant. Cum autem in eo orationis genere verſemur, in quo de dignitate Romani fori, de liberorum veſtrorum gloria maximisque vtilitatibus agitur, profecto dubitare non poſſum, quin me hodierno die attente libentiſſimeque audiatis.

Quoties autem mecum ipſe cogito, quam libere nonnulli confidenterque dicant, noſtris hisce temporibus ad forum accomodari nequaquam poſſe eloquentiam, toties ſic mecum ſtatuo: aut hos temere damnare, quod minus intelligunt, qua re nihil turpius, nihil impudentius; aut eos prorſus, in quo ſita ſit eloquentia, non internoſcere. Putant fortaſſe, cum eloquentiam audiunt, facultatem dici, quae quamlibet in partem arbitratu ſuo ac libidine audientium animos flectat et circum-

cumducat; quaeque ita sit acris, ita vehemens in dicendo, vt non tam verba et sententias fundere, quam tela et fulmina vndequaque vibrare videatur, quemadmodum de Pericle illo Athenienſi veteres Comici tradiderunt. Cogitant, puto, oratores homines turbulentos et quaſi lymphatos, qui in id maxime incumbant, vt precibus, clamoribus atque eiulatibus turbas excitent ac tragoedias. Id demum opinantur, omnem dicendi vim vsque adeo in concitandis affectibus esse repoſitam, vt iis ſublatis, eloquentia ſtatim concidat atque intereat prorſus. Enimuero errant, et vehementer quidem errant eiusmodi homines; nec quicquam recte iudicant de eloquentia. Tantum enim abeſt, vt in excitandis animorum motibus maxime, vel ſolum occupari debeat orator, vt contrarium potius, ſi praeſertim de eloquentia, quae ad forum pertinet, res agatur, et ſenſerint et palam docuerint homines ſapientiſſimi, iidemque in arte dicendi peritiſſimi. Nam vt omittatis recordari, quid olim hac de re grauiſſimus Areopagitarum ſenatus decreuerit, qui ſemper ab huiusmodi lenociniis ſic abhorruit, vt ne iudices aut dicentis aſpectu, aut actione mouerentur, ſed vnas rationes et vnum ius

aequitatis attenderent, eum in tenebris audire voluerint; difficile sane non erit assequi, in hac ipsa opinione fuisse Socratem, Platonem, Aristotelem aliosque plurimos. Et quidem Socrates ipse cum summo capitis discrimine reus ageretur, suamque causam sic iam egisset, vt aliud nihil expectasses, quam quod iudices ad misericordiam dicendo commoueret; noluit tamen eorum clementiam implorare, noluit lacrymas adhibere, noluit vxorem, liberos, amicos sordidatos producere: sed maluit honeste mori, quam gemitu eiulatuque muliebri vitam turpiter deprecari. Plato autem, Socraticae doctrinae cultor optimus et propugnator acerrimus, quam seuere, quam grauiter eos saepe reprehendit oratores, qui parum de veritate soliciti iudicum animos, admotis veluti machinis, blanditiis emollirent, et a iudicii seueritate, cui sese iureiurando obstrinxerant, ad lenitatem et misericordiam impellerent? Quid demum Aristoteles, qui cum tam multa eleganter ornateque de oratoria facultate conscripserit, eiusmodi animorum motus non modo non probauit, sed eos quoque grauissime maledictis insectatus est quasi labem et nefariam iudiciorum pestem? Et quidem

si iudicem pecunia corrumpi, nemo vnquam, nisi forte improbus, praeclarum duxerit; quis laudauerit artificio quodam iudicem ipsum deprauari longeque a recta ratione deduci? Videant ergo, quam facile decipiuntur, qui putant, animorum concitandorum vi sublata, eloquentiam nullo modo posse consistere. Quod igitur isthaec iudiciorum consuetudo neque populi studia, neque iudicum iram, aut misericordiam admittat, sed summam animi aequitatem summamque placabilitatem et quasi veterem illam Stoicorum ἀπάθειαν postulare videatur, non continuo eloquentiam foro exulare optimo iure quis dixerit. Aliud est profecto pugnacem illam et contentiosam dicendi rationem, quae ad permouendos animos maxime valet, inueteraſſe; aliud vero e iudiciis, quae modo fiunt, omnem eloquentiae vsum fuisse sublatum. Quis enim nobis nunc recte pronunciauerit fuisse vestibus interdictum, quod nemo praetexta, aut toga, vel sago prisco more induatur? Praeterquam quod hac ipsa aetate ἀπάθειαν istam in foro regnare minime video. Imo a plerisque summis caussarum patronis animaduerti calliditatis plurimum et industriae ad commouendas iudicum

mentes haud raro vsurpari. Quorsum enim spectant illae de aduersariorum fraudibus querimoniae? Quorsum tam multi de mala ipsorum fide clamores? Cur iudices tam enixe orant atque obtestantur, vt honestissimae familiae, de qua res est, rationem habeant, vt domus paupertatem, vt rei familiaris angustiam, vt liberorum multitudinem, vt duriorem fortunam et iniquissimam conditionem mature cogitent atque perpendant? Non haec praecipua animorum concitandorum ratio? Non hinc locus patet, vbi magna vis eloquentiae versetur? Age porro, conticuit Romanum forum, multaque ex parte florentissima oratorum gloria obsoleuit vetustate ac vicissitudine temporum: non ita tamen obsoleuit, vt maximam adhuc partem sibi in iure dicundo non vindicet.

Sed antequam rem propius attingamus, alteram mihi video conuellendam esse opinionem, falsam quidem non minus et absurdam, quae tamen multorum studia longe a nobis abducit. Putant nonnulli, hominem eloquentem eum tandem esse ac dici debere, qui plena ac perenni quasi flumen oratione redundat; eumque ad Demosthenem, aut M. Tullium proxime accedere, qui ce-

teris

teris hominibus verborum pompa et ſermonis granditate antecellit. At vero quis tam rudis ingenio, aut in literis tam nouus, qui non intelligat, plura quidem eſſe dicendi genera, et ad Rhetoricae facultatem orationem amplam et copioſam non magis quam preſſam et modice temperatam pertinere? Alioquin neque Iſocrates, neque Plato in ampliſſimum oratorum ordinem cooptarentur, quod eorum oratio, vt Cicero animaduertit, mollis erat ac temperata, nihil iratum habens, nihil inuidum, nihil atrox, nihil inflatum et grandiloquum, ſed caſta et verecunda quaſi virgo. Illum itaque dicendi arte praeſtantem voco, qui bene, id eſt qui lucu-lenter ornateque orationem tum ad res, tum ad perſonas, tum etiam ad tempora ſatis accommodatam adhibeat. Sit robuſtum dicendi genus: ſit gracile, ſi mauis, atque exile, non impedio. Mirum profecto, quam varia et multiplex ſit eloquentia. Quemadmodum in infinita hominum multitudine vnum alteri ore ac vultu, ceterisque lineamentis perſimilem omnino non videas; ita ne duo quidem oratores, eodem prorſus inter ſe ſtylo eademque dicendi forma, conueniunt. Alter quidem acuto ac ſubtili magis

quam amplo ac vehementi delectatur : alter grauis incedit et maiestate verborum et dignitate sententiarum : alii vero ita medium tenuere, vt voluerint illis quidem ornatiores, his autem submissiores videri ; vt propterea, si vera fateri volumus, quot fuerunt olim viri eloquentiae splendore clarissimi, totidem plane dicendi formas expressserint. Quid quod alias atque alias scribendi rationes et multiplices prope dicam ipsius eloquentiae facies in vno eodemque homine intueri fas est? Quanta enim mehercule in vno M. Tullio dicendi varietas? Quam amplum et multiplex scribendi genus? Modo humile ac mediocre, modo augustum atque excelsum videas; iam asperum atque acerbum, iam suaue ac lene fluens, vt nimirum et locus et tempus, aut res postulare videbantur. Cum enim sapientissimus atque immortalis vir nunc in foro, nunc in curia diceret, et iam oratorem iam philosophum, iam vero consulem, aut imperatorem tutoremque reipublicae ageret, ita opportune loco ac tempori orationem accommodabat, seque ad rerum dicendarum formas ita traducere solebat, vt grandia elate ac magnifice, media temperate ac mediocriter, parua tenuiter pertractaret.

Quae

Quae cum ita ſint, quid eſt, quod rabulae quidam de foro ius ciuile cum eloquentia iam pridem diuortium feciſſe contendant? An quod praeſens iudiciorum ſtatus vbertatem illam orationis et dicendi ornamenta non recipit, ſed ſincerum potius lene ac temperatum loquendi genus, proſcribendane erit continuo atque e foro exterminanda dicendi facultas? Quaſi vero ſublata veteri forenſium actionum forma, omnis pariter ſuadendi ratio e iudiciis ſublata eſſe videatur. Quo pacto autem ſperant homines peracuti, ſe quicquam de iure recte ſtatuere ac iudicibus perſuadere poſſe, ſi eius facultatis praeſidio careant, quae vna ſuadendi vim praecipue neruosque miniſtrat? Ego ſane nihil video a recta ratione magis alienum, quodque magis conſilio repugnet.

Vt cauſſae fidem, inquiunt, dicendo facias, et non opinione ſolum, ſed etiam ad veritatem iudicibus perſuadeas, non praecepta rhetorum, aut eloquentiae myrothecia, ſed iuris adeundi ſunt fontes et peritiſſimi legum interpretes conſulendi. Ita profecto. Ecce tibi ante oculos immenſa rerum ac verborum copia ex iis, quae cauſſae maxime fauere videntur. Sexcenta habes tum

ex Romano, tum ex Pontificio, tum etiam ex statutario iure argumenta, quae in medium afferas. Quin etiam innumeri doctores et legum interpretes, tot controuersiarum et consiliorum scriptores praebent tibi ad scribendum segetem vberrrimam atque ampliſſimam. Quis vero Oedipus, aut quod tibi de caelo numen affulgebit, ne tanta ac tam varia rerum multitudine obrutus de charta in papyrum scribas (verba sunt eruditissimi Polyhistoris Germani) inepta, futilia, superuacanea, thesin ipsam vel parum, vel nihil attingentia? Ita enim moris est vulgo, inquit, apud iurisconsultos. Quis, inquam, te doceat singula loco suo scite disponere, et communes argumentorum locos industria quadam rectoque ordine pertractare, vt perspicue et ornate, tum etiam breuiter, quae ad causſam pertinentia sunt, explices atque expedias? Quotidianus, opinor, vsus exercitatioque forensis. Itane vero? Sed vnde fieri dicendum est, quod homines aetate iam matura et in foro exercitati quam qui maxime, praeposterе tamen ac peruerse sine ordine ac sine delectu de iure scribant? Quid causae tandem est, quod in tanta exercitatione vsuque forensi, nihil aliud praeter putidos et male

ſutos centones farciant, qui viris doctis et eruditis ſtomachum mouent? Nonne quia illotis, vt aiunt, manibus ad ſacroſanctas, quas ipſi vocant leges, pertractandas auſi ſint accedere? Nonne quia bonarum artium et eloquentiae adiumenta non habent, vnde orationis filum apte pertexere valeant? Equidem negari non poteſt, elegantiorum literarum ſtudia opimum eſſe fundum, cui inaedificari debet omnis ciuilis prudentiae doctrina: quo qui careant, nunquam veram forenſium laborum gloriam aſſequentur. 'Accipite quaeſo teſtimonium non cauſſidici alicuius de triuio, ſed viri doctiſſimi et de omni iuris ſcientia optime meriti, Hugonis Grotii, qui Gallos, ad quos diſertiſſimam ſcribit epiſtolam, ita grauiter admonet. Iureconſulti munus, inquit, virum magnum non faciet, niſi eloquentia accedat. Equidem magno ſui experimento didicerat homo in iurisprudentia maxime exercitatus, quantum ab eloquentia ceterisque bonis artibus praeſidii habeant, qui in foro aliqua cum laude verſari cupiunt, cum ipſe non alia ratione in iis, quae de iure belli et pacis elegantiſſime tradidit, veterum iureconſultorum in dicendo gloriam aequauerit.

Age vero homines plerique de foro ita ingenio ac iudicio polleant, vt inutilibus amputatis, non modo quae ſolida ſunt atque optima conſectentur, ſed ſingula quoque in ordinem digerant ac ſatis bene disponant. Video, me plus nimio de meo iure concedere. Fac tamen ita eſſe omnino. An propterea ob eiusmodi ingenii vim eloquentiae ſtudia ad forum minus pertinere cenſenda erunt? Quid enim iſta non inelegans diſpoſitio atque ordo, ſi praeterea nullus adſit verborum delectus, nulla elegantia vocum, nulla denique germanae latinitatis imago? Poteritne mehercule eiusmodi lectio mulcere legentium animos et ſuauitate aliqua allicere, vt attente libentique animo, tota quanta eſt, perlegatur? Lectio enim, vt optime ait Cicero, ſine delectatione negligitur. Quid ſi lectio bene longa, aut de rebus per ſe iniucundis, vel etiam ſubtilibus et obſcuris? Tunc ſane dilucidam puramque dictionem, quae rebus iſtiusmodi lucem afferat, nemo non videt fore maxime neceſſariam. Cum igitur delectus ille et cura verborum, vnde recte Caeſar eloquentiam originem ſuam ducere affirmabat, ad eloquentiam ipſam iure ſuo pertineat; nemo profecto ſtudiorum huius generis expers ea ſeligere

re poterit, quae obſcuriora illuſtrent, et inſuauia ac moleſta iucunditate quadam ac ſapore perfundant. Non eſt itaque, cur miremur, ſi homines forenſes, qui haec noſtra ſtudia auerſantur, aliquando tam obſcure ſcribant, vt Chryſippum illum aemulari videantur, cuius integrum volumen ambiguis oraculis ac flexiloquis ambagibus ſic refertum dicitur, vt ad illud enodandum nouo ſemper opus eſſet interprete. Nam quod Cicero olim ſemel ingenii ſolertia, vel malitia potius in Cluentiana cauſſa ſe feciſſe gloriatus eſt, obſcuraſſe videlicet dicendo iudicum mentes: illi quotidie ignorantia faciunt, quod ſe nempe dictio nitida ac ſincera deficiat, qua animi ſenſus et cogitationes ſuas explicare commode valeant. Cum enim ex Ariſtotele prima eloquentiae virtus ſit elocutio pura ac venuſta, quae facit, vt oratio nihil barbarum, nihil inſolens, aut peregrinum habeat, ſed omnia ſingularum vocum elegantia earumque ſtructura et collocatione optime inter ſe cohaereant; non video, quo pacto queant luculente ſcribere, qui elocutionis ipſius vim et praecepta prorſus ignorant. Hinc barbarae illae et nunquam apud latinos auditae locutiones, quibus quaſi quodam humanitatis ſale homines plane inſulſi

insulsi scriptiones suas condire sibi videntur. Quae vt percipiantur, non satis est habere prae oculis glossaria vniuersa, quae de barbaris vocibus magno studio collegerunt Fridericus Lindenbrogius, Henricus Spelmannus, Gothofredus Wendelinus, (*) Gerh. Io. Vossius, Carolus du Fresne aliique plures. Vnde vero istiusmodi coenum ac sordes homines festiui colligere poterunt? An ex puriſſimis veterum Iureconsultorum monumentis? An ex ipsis Iustiniani institutis? An ex codice Theodosiano? Credo fortasse ex Nouellis, ex Authenticis, aut Pandectis. Quam vellem clariſſima eiusmodi exempla sibi ob oculos ponerent! Id quod superiori aetate summa laude fecerunt Guilielmus Budaeus, Antonius Faber, Iacobus Cuiacius, Franciscus Balduinus, Iacobus Gothofredus, Franciscus Duarenus aliique sapientiſſimi viri, qui cum ciuili scientia elegantiores literas et eloquentiam optime coniunxerunt. Quorum profecto volumina eam redolent scribendi castita-

(*) Huius Glossarium Salicum Legibus Salicis illustratis additum est, et habetur inter Opera Io. Iac. Chiffletii Antwerp. 1649. vt de aliis hic adductis Glossariis taceamus.

ſtitatem atque elegantiam, vt ſi forte quae de rhetorica facultate Ariſtoteles, aut quos de Oratore libros Cicero memoriae prodidit, nobis fato aliquo interiiſſent, ex ipſis mehercule eloquentiſſimis viris haberemus, vnde ſuppleri poſſent eloquentiae praecepta et omnis dicendi venuſtas. Cur ergo quos habent duces et optimos ſcribendi magiſtros preſſo pede non inſequuntur? Cur ſingularis eorum ſapientiae veſtigiis non inſiſtunt? Pudetne ſequi Fabros et Cuiacios, barbaros vero et imperitos, qui eruditorum omnium contuicio vapulant, ſequi non pudet?

At enim iureconſulti, quos mihi praedicas, ſapientes quidem ac diſerti, non e foro, ſed ex Academiae ſpatiis extiterunt. Verſabantur illi in eruditorum vmbraculis ac Lycei otio, vbi ſatis commode potuerunt ius, de quo quaſi domeſtica exercitatione in gymnaſiis disceptabant, aſpergere doctrinae floribus et eloquentiae pigmentis colorare. Nobis autem quotidie deſcendendum in medium agmen, in puluerem, in clamorem atque aciem forenſem, vbi ſane non pulchre cultis et affabre elaboratis ſed bene ſolidis armis pugnandum eſt. O praeclaram pugnam! O certamen cruentum! in quo, vt video, ad-

uerſarii

uersarii suis se miserrime telis confodiunt. Etenim satis intelligo, magnum intereſſe discrimen inter sapientissimos viros, quos caussa honoris paulo ante nominaui et homines nostros, qui hodie in foro cum aliqua nominis fama versantur. Enimuero duo sunt omnino, in quibus eorum eloquentiam imitari et ad illam proxime accedere, e praesenti more vsuque fori tenentur: in scribendo scilicet et causſam ad iudices referendo. Ad vtrumque hoc munus certe ingenium, humanitatis studiis perpolitum et dicendi exercitatione bene subactum depoſci, quis non intelligit? Vt proinde ex immutato priſtino iudiciorum statu, vnde eloquentiam foro eiectam plerique argumentari solent, ego contra pro hac ipsa, qua nunc vtimur, forensi consuetudine, maximam ipsius eloquentiae necessitatem statui debere contendo. Nam agebantur olim causſae summo apparatu maximoque splendore. Victoriam sibi magna ex parte vindicabant tum patroni eloquentia, tum populi Romani studium, qui iudiciis maxima frequentia adeſſe et aequitatis patrocinium quodammodo arripere solebat. Huc accedebat eius, de quo erat iure decernendum, praesentia atque aspectus; vxoris lacrymae,

mae, gemitus filiorum, amicorum officia et preces, ſpectata erga Rempubl. merita, poſtremo iudicum pietas et commiſeratio: Quid vero perorantis vox atque actio? Quae profecto ſic valet ad mentes hominum permouendas, vt fama ſit Demoſthenem ei primas, eidem ſecundas ac tertias tribuiſſe. Certe Cicero hanc ipſam vnam in dicendo maxime dominari affirmabat. Cum igitur haec omnia iam e foro deſciuerint, quid aliud miſero clienti ad ſalutem remanet praeter vnam ſcriptionem, iuris quaſi naufragii tabulam? Quae quidem ſi obſcura, vt difficilis ſit explicatu; ſi ieiuna atque agreſtis, vt legenti nauſea fiat, nonne de omni cauſſa actum eſſe dicemus? Continetur nunc tota quanta eſt cauſſarum actio vnius hominis diligentia atque induſtria: qui niſi in ſcribendo ſingula ad rem pertinentia in bono lumine collocauerit; niſi facti et iuris neruos artusque optime diſpoſuerit, verendum eſt ſane, ne eiusmodi cauſſa non praeclaros exitus habeat. Et negare quis poterit non maiorem nunc, quam olim in foro oratoriae facultatis vſum eſſe ac plane neceſſitatem?

Alterum vero, in quo eloquentiae ſtudium, vt dixi, noſtris hisce temporibus homini fo-

renſi

renſi maiorem in modum neceſſarium eſſe iudico, eſt nimirum cauſſam ad iudices referendi conſuetudo. Qua quidem in re mirum quantum valeat dicendi venuſtas et eloquentiae praeſidium. Etenim ſiue latino ſermone, ſiue domeſtica atque vernacula lingua (eodem quippe res recidit) id fiat, talis quidem eſſe debet doctoris induſtria, vt verbis quam pauciſſimis rem doceat, perſuadeat, flectat et iam quodammodo vincat. Quod negotium permagnum ſane atque arduum qui ſuscipit, non temere et caſu, ſed meditatus et ex arte dicat neceſſe eſt; ea videlicet perſpicuitate, vt rem omnem aperiat atque illuſtret; iis verbis puris atque electis, vt ſi dicendo non delectet, at certe animos non offendat; ea denique breuitate orationis, vt iudices, homines vel maxime occupati, longo dicendi ambitu minus defatigentur, argumenti tamen vis tota eorum mentibus haereat penitus atque inſideat. Has autem ſingulas oratoris partes qui non ſatis apte accurateque expleuerit, hunc profecto muneri ſuo deeſſe iudico; et nihil dubito, quin is cauſſa, etſi optima illa ſit, turpiter cadat. Quod ſi nonnulli naturali quadam dicendi copia, nullo adhibito ſtudio, id ſatis praeſtant; hoc praeter-

quam

quam quod non eſt multis natura datum, ſed quaſi priuilegium et ſingulare paucorum donum; id praeterea eloquentiam fori non amolitur, ſed eius neceſſitatem luculento admodum hoc ipſo exemplo confirmat. Huc quoque accedit, orationis vim eiusmodi inſitam et a natura profectam tautologiis plerumque aliisque ſermonis ſcatere vitiis, quae niſi ars dicendi opportune amputauerit, ea offendit plurimum ac moleſtiſſima eſſe ſolet.

Supereſt iam, vt quam breuiſſime eorum refutemus errorem, qui etſi ſtudia haec noſtra vituperare non audent, imo ea palam laudant atque extollunt, negant tamen poſſe fieri, vt vnus idemque homo ſimul praeſtet et dicendi genere et ciuilis ſcientiae doctrina; cum res vtraque magnam vim ingenii, multas vigilias maximosque procul dubio labores requirat: niſi forte velit vel pauciſſimas cauſſas ſuscipere et perraro ad forum accedere, vel quod longe deterius eſt, in iure discutiendo ſegnior ac remiſſior videri. Profecto homines iſti, ſi haec de ſe ſuique ingenii imbecillitate loquantur, bene habet; non repugno. Norunt ipſi, vt poeta inquit, quam ſibi curta ſupellex. At vero ſi ex ſuis viribus alios aeſtimare

stimare, atque omnes ex ingenii sui modulo metiri velint, ferendi nullo modo sunt, imo grauiter reprehendendi. Nam quae, malum, amentia est ista, quod se praestare posse diffidunt, id vniuerse ab nemine alio fieri posse contendere? Quis aequo animo ferat homines imperitos, qui eloquentiam ne de facie quidem nouerint, quique, vt lepide Budaeus ait, albane, an atra sit, diiudicare nequeant, negare tamen pugnaciſſime, ipsam cum iure ciuili posse coniungi, quocum coniunctissima semper fuit? At magno opus est ad eloquentiam ingenio, magno conatu, summis viribus. Esto: concedatur quidem difficillima esse, quae pulchra et admodum ardua, quae optima. Verum si id, quod est, fateri volumus, eiusmodi labor iis plane summus ac prope intolerabilis, qui cruda adhuc studia ad forum attulerint, et humanioribus literis vix leuiter informati ad iuris lauream aspirauerint. Qui vero ex humanitatis studiis solidam sibi eruditionem praeoccupauerint, et apparatum elocutionis vberem satis et luculentum tempestiue collegerint, nae ego amens, si in causſis defendendis hercule isto sudore manauerint. Imo nullus dubito, quin ipsi prompte atque expedite de iure

iure ſcribant, quemadmodum in ceteris argumentis, hominibus in iis ſtudiis exercitatis, vſu venit.

Sed plura iam fortaſſe, quam volebam, de re minime obſcura. Quis enim non videt, iſtorum opinionem ſatis ſuperque refutari exemplo domeſtico complurium clariſſimorum virorum, qui in hac ipſa ciuitate a pueritia hoc conſilium ſequuti diſputationes forenſes cum expedite, tum ornate ac docte pertractant, vt non minus eloquentiae vi, quam iuris telo pugnare ac vincere videantur. Horum ſane auctoritas in hac Vrbe quam maxime inualuit, non quod iuris ſcientia ceteris longe praeſtent, vt ſibi falſo perſuadent plurimi, ſed quod dicendi copia et facultate ceteros antecellant. Quo fit, vt ipſos magna clientum caterua ſtipatos huc illuc quotidie volitare videamus, et pecunias et opes et amicitias ſibi praeclaras comparare. Poſſem hic multos nominatim proferre ex iis, qui hodie in foro familiam ducunt, quique hoc induſtriae genere ceteros ſui aequales longo poſt ſe interuallo reliquerunt. At nolo aliquem nominare, ne aut cuiquam adulari, aut ſi non omnes, vt par eſt, laudauero, debita lauda-

tione quemquam fraudasse videar. Sed praestat id tacitis vestris cogitationibus existimandum relinquere, de quibus hanc tantam laudem intelligi cupiam. Neque enim facile latere possunt, si velint; cum sint in oculis totius ciuitatis, atque eorum fama omnium sermone celebretur. Horum dignitate atque opibus mirum profecto, alios ad haec ipsa studia non incitari atque accendi: quemadmodum fama est, Miltiadis tropaea Themistoclis animum ita inflammasse, vt vel quiescentem e somno excitare solerent. Atqui isti duro ore possunt quotidie non vnius, sed multorum praeclaras in foro victorias et tropaea oscitantes intueri. O singularem stuporem! O stultitiam incredibilem!

At magnam quidem vim esse in fortuna aliqui putant, et inanis eiusdem numinis arbitrio illud fieri, vt aliquando etiam in foro primos ordines ducant, qui eorum opinione inter gregarios milites deberent incedere. Alii vero ingenio, vt sibi persuadent, altiores caelum ipsum, vt poeta inquit, stultitia petunt, et arcanas nescio quas siderum coitiones ariolantes, clarissimorum virorum praestantiam non labore atque industria, sed stellarum benignitate deriuari et quodammodo dona-

donari volunt. At merhercule illi non minus quam fortuna ipsa caeci esse videntur, quod non videant, sapientia et consilio fieri, quod ipsi casu contingere putant: hi vero malitiosi atque improbi, quod ad ignauiam suam excusandam de summorum virorum gloria plurimum detrahant, astrorum virtuti et efficacitati tribuentes, quod illi reuera sibimet bonarum artium studio, multis vigiliis maximisque laboribus compararunt.

Quae cum ita se habeant, ecquis est, qui non intelligat, quam vtile, quam fructuosum, vnoque verbo quam necessarium sit eloquentiae studium iis, qui id temporis in foro aliqua cum laude versari volunt? Non eiecta est, non exulauit foro, vt barbari homines obloquuntur, ampliſſima dicendi facultas. At quamdiu Romae tribunalia patere, et tum publica tum priuata iudicia fieri contigerit, quamdiu causſas de criminibus agitari, et homines in ius vocari atque defendi, tamdiu illa pristino suo iure vti, atque in subselliis vt olim regnare videbitur. Desinant ergo, desinant optimarum artium contemptores eloquentiae gloriam insolenter traducere: comprimant aliquando voces obtrectationis et inuidentiae plenas. Plus satis iam palam

est, eloquentiam ad forensem dignitatem hac nostra aetate esse vel maxime necessariam. Etsi, age, pergant, dum volent, de foro rabulae honestissimas disciplinas maledictis incessere. Clamitent boni viri inter eloquentiam ipsam et iuris scientiam nullum intercesse commercium, nullum vinculum societatis. Suadeant, quantum valent, ab eiusmodi studiis nullum esse expectandum emolumentum, nullas opes, nullum decus: omnem ipsis obtrectandi licentiam damus. Neque enim veremur, vt quisquam tam hebes ingenio, aut natura tam amens existat, qui ab istorum dicacitate ieiunisque argumentis sese vnquam ab eloquentiae studio dimoueri patiatur.

IN

IN

OPTIMIS STVDIIS LENTE FESTINANDVM.

ORATIO VII.

HABITA XV. KALEND. NOVEMBRIS
AN. M DCC XVIII.

GLORIANTVR plerique noſtrae aetatis homines, optimarum artium ſtudia hoc tempore ad eam eſſe deducta facilitatem, vt paucis annis et perexiguo labore cuique facile ſit magnam ſibi doctrinae laudem comparare. Quin etiam nonnulli libere affirmant, hominis vitam non breuem admodum eſſe, vt putauit Hippocrates, ad vnam vel alteram diſciplinam aſſequendam; ſed diuturnam quoque ſatis et bene longam ad amplissimum illum ſcientiarum orbem obtinendum, quem Graeci Encyclopaediam dixerunt: tot videlicet eſſe hodie diſcendi ſubſidia prompta atque parata, tam amplam librorum ſupellectilem, tot publica vbique gymnaſia et nobiliſſima literarum emporia patere, vt niſi quis ingenio ſit omnino deſtitutus, aut ſummam ad ignauiam proiectus, breui poſſit praeclaros in omni liberalium artium genere progreſſus facere. Quae quidem ſi vera ſunt, ab iſtis quaero, qui tandem fiat, vt in tam obuia atque expedita diſcendi ratione, tam pauci nihilominus reperiantur, qui non dico vniuerſum illum ſcientiarum circulum ingenio complectantur, ſed in vna vel altera diſciplina inter ceteros praeſtent, et quaſi primos ordines ducant? Vbi memoria noſtra Platones,

vbi

vbi Demosthenes, vbi Ciceriones, aut Plinii atque alia eiusmodi clariſſima doctrinae lumina? Nemo profecto non videt, communi experimento refelli inanem iſtorum hominum credulitatem, aut nimium, ne durius agere videar, blandiendi cupidae iuuentuti deſiderium. Multo labore multisque vigiliis, ſi vera fateri velint, opus eſt ad ſolidam doctrinae laudem conſequendam. Nec quicquam eſt, mea ſententia, quod ſtudioſis adoleſcentibus officiat magis quam immatura et praeceps ſtudiorum ratio. Quandoquidem ſi vlla alia in re, certe in optimarum artium ſtudio, vt veteri prouerbio dicitur, eſt lente feſtinandum. Quare adeſte vos animo, Adoleſcentes optimi, quotquot, hodie ad intermiſſa literarum ſtudia inſtauranda frequentes in hunc amplisſimum locum alacri laetoque animo conueniſſe video. Nam veſtram cauſſam et quidem grauiſſimam hodierno die me potiſſimum ſuscepiſſe profiteor, dum praeproperam quorundam in ſtudiis feſtinationem oppugnare aggredior. Hanc enim vos veluti ingeniorum peſtem ac perniciem fugiendam eſſe, quemadmodum ſpero, facile intelligetis.

At vero, dum in ipſo orationis aditu immaturam et plus aequo feſtinatam ſtudiorum

rationem reprehendere inſtituo, nemo veſtrum ſibi perſuadeat, eorum mihi probari conſilium, qui in leuioribus ſtudiis adoleſcentes diutiſſime detinent, vt ad vnam latinae linguae inſtitutionem complures anni, imo integra hominis aetas vix ſatis eſſe videatur. Tantum abeſt, vt iſtorum ſententiam laudem, quin illam potius nullo modo ferendam eſſe iudico. Nam vt de ipſius latinae Grammaticae rudimentis exemplum ſit, quid eſt per veſtram fidem! immenſa illa regularum, appendicum, ſcholiorum monitorumque farrago, quam ad torquenda puerorum ingenia vsque adeo exaggerauit cerebroſa iſta grammaticorum natio? Quid tot ambages ac ſubtiliores obſeruationes, quae non latinae linguae caſtitatem, ſed tricas et apinas bene longas continent, in quibus miſeri adoleſcentes potiſſimam aetatis partem traducere coguntur? Amputetur aliquando tot luxuriantibus ramis abundans ipſamet latine loquendi ars; pueriſque tradatur anguſtis vt olim finibus circumſcripta Grammaticae facultatis inſtitutio: nae ego amens ſim, niſi minori cura et perbreui tempore pueri ipſi latinum ſermonem integrum ac purum expedite loquantur; quos hodie poſt tot labores atque aetate grandiori adhuc

huc balbutientes audimus. Quod quidem de longioribus grammaticorum commentationibus sic dictum volo, vt de Dialecticis parinibus sic dictum volo, vt de Dialecticis parater, de Physicis, de Theologicis aliisque grauissimis facultatibus non minus intelligatur. Quandoquidem ingeniorum luxuries tantam in singulas disciplinas propaginem subtilitatum inuexit, vt sapientissimi cuiusque iudicio nihil iam vtilius magisque necessarium esse videatur, quam eas circumcidere et quasi ad viuum resecare. Quamobrem ego nunquam eos bonarum artium professores laudauerim, qui nimia quadam docendi intemperantia ducti singula quaeque studeant subtilius copioseque enucleare, vt nihil praeterea superfit dicendum, vel cogitandum; quique non id quaerunt, vt ad doctrinam veram et solidam iuuentuti facem praeferant, sed illud potius, vt rerum vbertate et dicendi copia magnam sui moueant audientibus admirationem. Qui si gloriolam istam pluris quam iuuentutis ab se recte in studiis instituendae laudem faciunt, certe sunt reprehendendi.

Verum vt aliquando, vnde digressa est, reuocetur oratio mea, si quis forte putet, cum vnam vel alteram disciplinam a me nominari audiat, leue aliquid, aut parui negotii prouinciam

ciam dici, is vehementer errat. Quemadmodum enim maximorum montium altitudo procul intuentibus minus conſpicua eſſe ſolet, vbi vero ab ea propius abſumus, tum appareret, quanta demum illa ſit, et quam in ſublime aſſurgat: ita fere nemo proſpicit, quam excelſum atque arduum ſit cuiusque doctrinae faſtigium, niſi illud cominus contempletur, et quam proxime ad ipſum accedat. Praeſtat itaque liberalium artium naturam earumque altitudinem atque profundum paulisper inſpicere. Nihil autem hoc loco de ſtudiis eloquentiae dicam, ne noſtra magnificentius extollere, aut quae in me multa deſunt, ab aliis exquirere velle videar. Norunt multi, qui me audiunt, quam late pateant huius generis ſtudia. Norunt, cuiusmodi laboris ſit, oratoris perſonam, pro virili parte ac dignitate, ſuſtinere. Praeterea in oculis omnium extant, quae multa M. Tullius, Fabius Quinctilianus et Dionyſius Longinus ad perfectam abſolutamque dicendi rationem eſſe maxime neceſſaria doctiſſimis monumentis tradiderunt. At vero Philoſophia, quae primo nobis occurrit, in quantam, Deus immortalis, latitudinem ſe ſe explicat? in quot partes ac membra veluti magnum doctrinae corpus diſtri-

distributam videmus, quae singula multiplicem eruditionem comprehendunt? Nam vt Dialecticae artem, quae sane suas habet subtilitates et anfractus bene multos, praeteream; quanti ingenii ac laboris est, rerum omnium, quas oculis intuemur, quaeque in terris vel in aqua gignuntur, siue in aere ex elementorum conflictu procreantur, causſas penitus abditas retrusasque perquirere? Quot profecto in hac vna naturae contemplatione arcana latent, de quibus et veterum philosophorum placita consulenda, et experimenta recentiorum ad examen saepius sunt reuocanda? Equidem nemo hactenus fuit, qui certo definire, aut satis explicare potuerit, et magnetici lapidis ad caelestem polum conuersiones, et originem fontium, et admirandam fluminum celeritatem, et vim ac sexcenta eius generis alia. Tu vero, vix auditis aliquot de materia et forma opinionibus, vix nonnullis de causſarum numero atque ordine quaestiunculis delibatis, te continuo physicum praedicas et vniuersae naturae interpretem sapientissimum? O stultos Democritos, stultos Platones atque Aristoteles, qui tot annos pertinaci industria assiduisque vigiliis in Philosophiae studio desudastis. Ecce adolescentes nostri pau-

paucis menſibus et quaſi per ludum omne id aſſequuntur, ad quod integram diuturnamque aetatem vos nequaquam ſufficere poſſe putabatis. Certe Themiſtocles, ille philoſophus, cum centum et ſeptem annos, quibus vixit, in Philoſophiae contemplatione fere omnes conſumpſiſſet, morti proximus dixiſſe fertur: ſe dolere, quod tum de vita egrederetur, quando in Philoſophiae ſtudiis progreſſum aliquem erat facturus.

At vero profundiorem, inquiunt, naturae notitiam iis vltro relinquimus, quibus per omnem vitam in eiusmodi ſtudiis otiari vacat. Nobis autem, qui ad grauiſſimas facultates, ad Iurisprudentiam, ad Medicinam, vel ad Theologiam properamus, abunde eſt, primoribus labris iſthaec deguſtaſſe, et extremis, vt dicitur, digitis attigiſſe. Praeclare quidem. At Metaphyſicae ſtudium, quod viri ſapientes tanti fecerunt, atque Ethica, quae diſciplina morum vitaeque ciuilis magiſtra habita ſemper fuit, omnino ſuperfluunt? Quid multa? Honeſtiſſimas ſiquidem eius generis diſciplinas quaſi otioſas occupationes aeſtimant, et tanquam figmenta a male feriatis hominibus excogitata negligunt atque praetereunt. Non erat ergo, cur tam multa ſapien-

pientiſſimus Socrates de virtutibus ac vitiis disputaret. Non erat, cur Plato atque Aristoteles tam ampla de ſingulis Philoſophiae partibus ſcripta poſteritati relinquerent, ſi in illis nihil excellens, nihil egregium, nihil denique bonae frugis inueniretur. Age vero ad medicorum ſcholas aduolent curſores iſti ſtudiorum. Graecas, credo, literas, quibus ipſa medendi ars principium ſane debet et incrementum, intime norunt. At vereor, ne latinas quidem ſatis intelligant. Caeleſtium corporum motus, opinor, et quam in haec noſtra inferiora vim habent, probe tenent. Quid ad medicum, inquiunt, ſidera? Nos morborum originem eosque depellendi rationem, non ſtellarum ortus et occaſus inquirimus. Atqui Hippocrates et Galenus, medicorum principes, hanc ipſam aſtrorum ſcientiam ad morborum curationes ſuscipiendas, aut etiam praetermittendas, ad criſes internoſcendas, ad exitus bonos vel malos praenunciandos eſſe maxime neceſſariam affirmant. Et vero paucis explicari non poteſt, quam multiplicem rerum notitiam poſtulet ars ceterarum omnium periculoſiſſima. Quis enim ignorat, quam intimam arctamque habeat medendi facultas cum Anatomia, cum

Bota-

Sächsische Landesbibliothek – Staats- und Universitätsbibliothek Dresden http://digital.slub-dresden.de/id368268268/245 gefördert von der Deutschen Forschungsgemeinschaft DFG

Botanica, cum Optica, cum Mechanica aliisque bonis artibus ſocietatem? Quae ſi forte negligantur, nullum maius reipublicae malum, aut luctuoſius communi ſaluti periculum accidere poteſt. Hinc enim fit, vt homines nullis eiusmodi ſtudiis informati ad vſum atque exercitationem eius artis temere irrumpant, quae, cum per ſe ſit maxime periculoſa, niſi recte adhibeatur, euadit longe omnium pernicioſiſſima. Et mirabitur quisquam, ſi id temporis, in tanta quidem medicorum turba, vnum plerique omnes medicum quaerant? Verum plura dixi, quam volueram, de iſto hominum genere, quo cum dimicationem ſuscipere eſt valde periculoſum. Illud mihi ſatis eſt, cuique ob oculos ponere, Medicinam arduam et negotii plenam eſſe proiuinciam: nec quemquam fore, etſi ingenio praeſtantem, qui exiguo tempore, aut modico labore aſſequi poſſit id, ad quod obtinendum ſuperiori memoria viri ab ingenio prope facti et optimis artibus inſtructiſſimi Helmontius, Williſius, Thakenius, Fallopius, Malpighius, Bellinus aliique plurimi ſpatium aetatis omne conſumpſerunt.

At vos iam compellat oratio mea, iuuenes naui et induſtrii, quos ad ſcientiam iuris in hoc

hoc Romano gymnasio, summo studio summaque frequentia, conuenire video. Equidem si vos aut veterem iureconsultorum sapientiam et singularem eruditionem mature spectetis, aut in eorum clarissimorum virorum, qui literis vix restitutis, ad ius ciuile exornandum omnem industriam suam contulerunt, doctrinam et multiiugem totius antiquitatis cognitionem intueamini; facile vobis erit intelligere, quarum rerum quandam veluti praecursionem a vobis postulet absolutissima iuris prudentia. Sciunt enim omnes, quanto et Graecarum et Latinarum literarum apparatu, quanto eloquentiae studio muniti ad iuris facultatem accesserint in Italia princeps et dux ceterorum, Andreas Alciatus, Tiberius Decianus, Iacobus Menochius, Guido Pancirollus; in Hispania Antonius Augustinus, Didacus Couarruuias, Antonius Goueanus, Arius Pinellus: in Gallia Guillielmus Budaeus, Iacobus Cuiacius, Franciscus et Duarenus et Balduinus, Antonius et Petrus Faber: in Germania Zasius, Siccardus, Viglius aliique plurimi. E quorum vnanimi consensu tantaque diuersarum gentium conspiratione nemo non videt, vnam omnium fuisse sententiam, ad ius ciuile am-

plectendum non leuem et perfunctoriam latini ſermonis cognitionem et adumbratam Dialecticae tincturam, vt hodie plerique exiſtimant, ſufficere; ſed cum eloquentiae et literarum ſtudio totius anteactae notitiae memoriam atque ex omni gente collectam eruditionem requiri. Quandoquidem, vt a Dionyſio Gothofredo, viro ſapientiſſimo et de ciuili ſcientia optime merito, admonemur, ius ciuile Romanum, quod ſanctitate legum et diſciplina omnium exterarum gentium legibus et inſtitutis praeponderat, omnia populorum iura et mores in ſe comprehendit. Siquis ergo ex hac tanta iuuenum frequentia exiſteret, qui ciuilis ſcientiae elegantiam et ornamenta deſpiceret, et apud illum clariſſimorum virorum, quos paulo ante honoris cauſſa nominaui, auctoritates nihil valerent; imo vero ſatis ſibi eſſe duceret ex Inſtitutis, vel etiam ex Pandectis delibare nonnulla, quae ad forenſem vſum maxime pertinent: hunc ego ſane non legum iurisque peritum futurum eſſe dicerem, ſed leguleium et vnum de foro rabulam. Noui equidem in hac Vrbe hominem, inter cauſſarum patronos minime poſtremum, qui ab ſtudioſo iuris adoleſcente contubernali ſuo de tri-

ta illa iuris ciuilis partitione, qua scilicet Iustinianus Caesar vniuersum ius Romanorum in quatuor libros, Pandectas, Codicem, Institutiones et Nouellas constitutiones distribuit, cum esset requisitus, obmutuit; atque ita mente turbatus haesit, vt si de aliqua Sinarum prouincia, aut vnde Nilus originem ducat, fuisset interrogatus. Quid si homo eruditus de XII. Tabulis, vnde omnis publici et priuati iuris fons promanauit, de Prudentum responsis et iure non scripto, de Senatusconsultis, de Praetorum edictis, de decretis aut de epistolis Principum simili ratione fuisset consultus? Enimuero istiusmodi homines, si id quod est, fateri volumus, indigni sunt prorsus, qui sibi iureconsulti nomen et dignitatem vsurpent, cum ipsa fundamenta legum ignorent, et vberrimos iuris fontes et capita ne viderint quidem. Age vero haec omnia si mauis negligantur: in ea namque tempora delapsi sumus, in quibus eruditionis nomen forensium hominum auribus barbarum sonat: sed iurisprudentiae potius vim solidam et succum ipsum inquiramus. Enimuero quam amplum, quam immane doctrinae corpus efficiunt, quae vnius ciuilis scientiae ambitu conti-

nentur ? Vt nihil dicam de amplitudine iuris Canonici, cuius quidem fines longe lateque proferuntur ; nihil de innumeris Conciliorum decretis, nihil de tam multis Romanorum Pontificum conſtitutionibus : quae ſingula immenſi laboris aſſiduitatem et non impar diuturnae vitae ſtudium poſtulare nemo eſt, qui non videat. Huc accedit, tot iam propagatas eſſe in vtramque iudicii partem opiniones Doctorum, vt his vnis capiendis vix ampla bibliotheca ſufficiat. Quorum ſententias cum ad examen reuocari, et ſi quae falſo obtruduntur interpretationes, expungi oporteat, facile omnes intelligunt, totos ingenii neruos et laboris vim maximam eſſe adhibendam. Quae cum ita ſint, prodeat nunc in forum pexo capillo nitidus et barbatulus neſcio quis iuuenis, qui vix leui quadam legum et iudiciorum notitia reſperſus, audeat tamen ſeſe Vrbis profiteri iureconſultum : qui videlicet triduo totam, quantacunque illa eſt, iuris ſcientiam deuorauerit. Ego quidem audaciam eiusmodi propter aetatem excuſari poſſe non dubito. Mirari tamen ſatis non poſſum, quenquam tam amentem reperiri, qui noui et inexperti hominis fidei cauſſam committat. Hunc quippe

quippe et rebus ſuis et fortunis et liberis pessime conſuluiſſe, quis non videt? Cladem quippe ſubeat neceſſe eſt, qui caeco et imperito duce cum hoſte confligit. Iuuenes autem, qui ſic imparati ad forum accedunt, id quaeſo caueant, dum iter nimium properant, ne idem, vt in veteri prouerbio eſt, ſerius abſoluant. In ipſos enim optime quadrat ſcitum illud Diui Auguſtini aduerſus Petilianum, iis ſcilicet, qui plus nimio feſtinant, nonnunquam vſu venire, vt veſtem, aut calceos peruerſe induant, quae res poſtea currentibus moram et tarditatem affert.

Iam vero de Theologia pauca dicam, vt inde de ceteris diſciplinis coniectura amplisſime fiat et iudicium. Equidem, ſi e tanta Theologorum paucitate, quantam eſſe videmus, diuinae huius ſcientiae difficultatem et ſalebras deducere fas eſt, nemini obſcurum eſſe poterit, quantum amplitudine et dignitate ceteras diſciplinas Theologia antecellit, tantum illam et ingenii et laboris praealiis exquirere. Nam ſi rationem recte ſubducere velimus, pro innumeris prope religioſis familiis, quae hodie in eiusmodi ſtudio vnice verſantur, pauciſſimi quidem ſunt,

qui tam amplae facultatis non dicam membra omnia et partes, ſed partium articulos abſolutiſſime comprehendant. Niſi forte Theologos mihi nominas, diſputatores neſcio quos acres et ſubtiles, qui nihil de abditioribus ſacrarum literarum oraculis, nihil de Eccleſiaſticae hiſtoriae notitia, nihil de monumentis tum Graecis tum Latinis ſanctorum Patrum attigerint; ſed Dialecticorum inſtar rem omnem agunt diſputationibus et clamoribus. Hos enim cenſoria virgula notatos e Theologorum collegio dispungit Melchior Canus, vir dignitate et doctrina clariſſimus. Audite quaeſo doctiſſimi antiſtitis teſtimonium. Intelligo, inquit, (*) fuiſſe in ſchola quosdam Theologos adſcriptitios, qui vniuerſas quaeſtiones Theologicas friuolis argumentis abſoluerint, et vanis inualidisque ratiunculis magnum pondus rebus grauiſſimis detrahentes, ediderint in Theologiam commentaria, vix digna lucubratione anicularum; et cum in his ſacrorum Bibliorum teſtimonia rariſſima ſint, Conciliorum mentio nulla, nihil ex anti-

(*) in Locis Theologicis L. VIII. c. 1. p. m. 379. vbi tamen verba vltima paulo aliter ſe habent.

antiquis Patribus oleat, nihil ex graui Philoſophia, ſed puerilibus fere diſciplinis; Theologi tamen, ſi ſuperis placet, vocantur. Ex qua grauiſſima auctoritate cui perſpicuum non eſt, quot doctrinae praeſidiis debeat eſſe inſtructus, qui praeſtantiſſimae facultati nomen dedit? Dubitari plane non poteſt, quin praeter magnam ingenii vim diuturno quoque labore multisque vigiliis ad tam amplam eruditionem comparandam opus ſit, ſine qua nemo poteſt iure dici Theologus. Equidem, ſi paulo maturius cogitemus, quae ſuperiori aetate plena ſucci et ſanguinis monumenta literis elegantiſſimis tradiderunt et Bellarminus et Sirmondus, et Petauius et Alphonſus a Caſtro, et Melchior Canus et Thomaſſinus, et Natalis Alexander aliique permulti, qui de rebus Theologicis acute ſimul et neruoſe ſcripſerunt, compertiſſimum nobis erit, eiusmodi ſtudia complurium annorum induſtriam, imo vero diuturnae aetatis maturitatem redolere.

Verum, quid diutius grauiſſimis diſciplinis immoramur, cum haec noſtra mitiora literarum ſtudia, quae Humanitatem appellant, tantum ſibi cum ingenii tum temporis poſtulare videamus? Nam praeter vniuerſam

illam ceterarum fere omnium artium, quam neceſſario exigunt, notitiam, praeter hiſtoriarum, quam Graeci et Latini ſcriptores memoriae tradiderunt, cognitionem, et ampliſſimam illam vbertatem rerum, quae eruditio dicitur; quanti mehercule laboris eſt dictionem ſibi puram et elegantem conflare, varias dicendi notas internoſcere ac multiplices ſermonis formas exprimere? Quam paucorum ſemper fuit, orationem ſic verbis et ſententiis inſtruere, vt ad veteris eloquentiae decus et maieſtatem proxime accederet? Quid vero de poetica facultate dicam, cuius dignitas plusne naturae, an arti, plus ingenio, an induſtriae eſſet tribuenda, merito viri ſapientiſſimi dubitarunt? Atqui Virgilium, cui ingenium bene limatum et omnibus fere diſciplinis excultum, ſeptem perpetuos annos in Georgicorum libris deſudaſſe accepimus. Neque ipſe annorum duodecim, quos in diuino Aeneidum carmine inſumpſerat, moram ſatis eſſe putauit ad ſempiterni eius operis commendationem, quo minus illud vt rem informem impolitamque teſtamento comburi iuberet. Quid quod Iacobus Sannazarius, poeta ſane elegantiſſimus, tres illos aureos de partu Virginis libros viginti annorum li-

ma perpoliuit? Nam quemadmodum Zeuxis, ille celeberrimus in tabulis pingendis morosus et difficilis, dicere solebat, se diu pingere, quod aeternitati pingeret; ita plane, quae immortalitati parantur, diu multumque cogitanda sunt, neque ante de tabula ponenda est manus, quam singula dilucida sint admodum atque expolita. Quamobrem Horatius in praeclara illa et immortali ad Pisones epistola saepissime inculcat, multa die multisque lituris esse castigandum, quod propediem in lucem est exiturum: nec quicquam fore elaboratum satis atque perfectum, quod longa mora non concoqueret, nonumque in annum non premeretur. Quae sic dicta volo, vt omnes intelligant, citra sudorem studiumque plurimum, neminem in re literaria fieri summum, nec posse paucis annis, vt stulte sibi plerique arrogant, ad veram doctrinae laudem peruenire.

At vero dicet aliquis, Picus ille Mirandulanus, cuius gloria in omnium ore et admiratione semper viuet, nonne tam breui, quo vixit, trium circiter et triginta annorum tempore id est assequutus, vt et orator et philosophus et mathematicus et theologus magni nominis esset, cum tam multa

de omni fere doctrina et publice disputauerit et literis tradiderit? Quid quod praeterita aetate, vt ne longius abeam, Hugo Grotius, Daniel Heinſius, Blaſius Paſcalius in ipſo adoleſcentiae flore complura in lucem ediderint, quae eruditionem minime vulgarem redolent? Profecto non negauerim, Picum aliosque permultos extitiſſe, qui ſingularis ingenii felicitate pauciſſimis annis eo peruenerint, quo plerique homines longo ſtudio multaque aetate peruenire nequaquam potuerint. At vero praeterquam quod, quae paucorum felicitas eſt, ad commune ceterorum exemplum trahi nullo modo poteſt, quis ignorat, non defuiſſe doctos et emunctae naris viros, qui in Pico ipſo Mirandulano aliquanto amplius deſiderauerint, et in eo neſcio quam praecocis ingenii acerbitatem culpauerint? Illud certe negari non poteſt, multos naeuos et maculas illius ſcriptis eſſe aſperſas, quae in eloquentia et elegantioribus literis hominem immaturum fuiſſe oſtendunt. De ceteris autem dico, homines quidem multos praeceleri feruidoque fuiſſe ingenio, qui ſcriptis editis adoleſcentiam ſuam illuſtrauerint: nego nihilominus, omnem in praematuris eiusmodi fructibus de-

guſtari

gustari tum ingenii tum iudicii maturitatem. Quod ne cui obtrectandi caussa, aut de gloria summorum virorum quicquam detrahendi studio dictum esse videatur, literariae Reipublicae annales quaeso percurrite. Non pauci sane vobis occurrent viri literatissimi, qui deinde confirmata iam aetate, ad incudem ea ipsa reuocauerint, vel etiam cum pudore damnauerint, quae pridem iuuenilibus annis nimium festinanter effuderant. Hoc enim, vt antiquiores praeteream, et Laurentium Gambaram, et Petrum Bembum, et Franciscum Petrarcham, et Torquatum Tassum aliosque magni ingenii homines feciisse legimus. Nec sane mirandum; cum oculis nostris quotidie videamus, succum non habere diuturnum, quae nimis celeriter matureſcunt, neque diu vigere, quae praepropere et quasi ex tempore gignuntur: contra vero arbores, quae in multas aetates mansurae sunt, altioribus humo defigi radicibus, sero creſcere ac paulatim robur et firmitatem tenere.

Quae cum ita se habeant, iam intelligitis, Adoleſcentes optimi, quorum caussa potissimum haec omnis oratio instituta est, nihil esse solidiori doctrinae noxium magis

aut

aut inimicum, quam nimiam ſtudiorum feſtinationem. Non curſorum more, ſed lente, ſed maturo conſilio in optimis ſtudiis eſt properandum. Sat cito, dicere ſolebat ſapientiſſimus Cato, res fiunt, ſi ſat bene. Quid autem vobis ad ſcientiae exitum celeriter perueniſſe proderit, niſi illius membra omnia et partes plene cumulateque teneatis, aut in ea quid primo, quid poſtremo loco ſit, haud ſatis percipiatis? Agite itaque rem veſtram nauiter, et ad quam ſemel animum appuliſtis diſciplinam, ad eam diligenter conſtanterque incumbite, quousque illam a vobis reuera poſſideri et vtilitatis et gloriae veſtrae fundum fieri contingat.

DE

DE

EXPEDITA DISCENDI RATIONE.

ORATIO VIII.

HABITA XV. KALEND. NOVEMBRIS
AN. M DCC XIX.

Sächsische Landesbibliothek – Staats- und Universitätsbibliothek Dresden
http://digital.slub-dresden.de/id368268268/259
gefördert von der Deutschen Forschungsgemeinschaft DFG

CVm anno superiore ex hoc ipso loco eam, more maiorum, orationem haberem, in qua quotannis quispiam de dignitate ac praestantia bonarum artium praefari solet; illud, si meministis, contendebam, in optimis studiis lente quidem esse festinandum; nec studiosae iuuentuti quicquam esse pernicioſum magis, aut inimicum, quam pauciſſimis annis grauiſſimarum disciplinarum studiis immorari, quae multum et temporis et laboris omnino requirunt. Quod argumenti genus his plane temporibus necessarium etsi sapientiſſimis, qui aderant, viris probatum fuisse, certe scio; non defuerunt tamen aliqui, qui inde occasionem obtrectandi arripuerint: quasi vero, propoſita hac tanta studiorum difficultate, iuuenes ab susceptо eorundem cursu retardari et magnos illos, quos ad Academiam attulerant, animos despondere contingat. Quorum opinio tametsi et ratione et communi experimento refutari facile possit; cum compertissimum sit, quae obuia et vnicuique expoſita maxime sunt, homines ea negligere atque contemnere; ad illa vero, quae ardua et multo difficillima, eos fortiter aggredi et maiori studio et voluntate duci: malo tamen

mitiori

mitiori eiusmodi hominum ingenio indulgere, quam erga ipsos durior, aut parum officiosus videri. Temperabo itaque hoc anno austeram illam dicendi rationem, et molliori susceptо argumento, tyrones milites, si qui forte seueritatis metu a nobis olim dilapsi sunt et in fugam coniecti, ad musarum castra hodierno die reuocare conabor. Quare aditus quosdam breues admodum et expeditos cupidae literarum iuuentuti indicare statui, per quos, si velit, propere possit ad veram doctrinae laudem peruenire. Haec autem ne quis forte dici putet adulandi studio, aut ostentandi ingenii caussa, quod a natura mea semper abhorruit, nihil de meo proponam: sed presso pede summorum virorum vestigia persequens, quem ipsi tenuerint breuissimum discendi cursum, ostendam. Sic enim omnes intelligent, non me meo consilio, sed ipsos veteres sapientiae magistros, hoc vnum expeditissimum muniuisse ad doctrinam iter, quo nullum possit aut magis certum, aut compendiosius excogitari.

Duo sunt omnino, quantum ego intelligo, quae cum in omni vita, tum praesertim in bonarum artium studio plurimum valere, ma-

iores

iores nostri semper existimarunt, amor nimirum et diligentia. Quorum alter animum excitat, et subiectis veluti facibus ad agendum inflammat: altera vero facit, vt id, quod eximium et laude dignum, homines magno conatu summoque labore assequantur. His quidem ducibus ad optimas disciplinas iter facile et expeditum maioribus nostris semper patuit. Hanc vnam illi breuem et rectissimam ad literarum studia viam nobis tritam reliquerunt. Amor scilicet, amor doctrinae fuit, qui Platones, qui Aristoteles, qui Archimedes, Hippocrates, Papinianos aliaque clarissima scientiarum lumina olim peperit, et ad gloriam extulit sempiternam. Putant nonnulli, et falso quidem, aetatis nostrae ingenia tardiora esse atque hebetiora, quam antiquorum fuerint. Putant, effoetam iam esse naturam, et magnorum ingeniorum semina penitus interiisse. Cum enim videant nostris hisce temporibus tantam adolescentium frequentiam in literario puluere desudare; nihilominus paucos admodum singularis doctrinae palmam referre: nullumque memoria nostra existere, qui scientiae gloria cum antiquis decertare audeat: nullum, qui in poetica facultate cum Home-

Homero , aut Virgilio , nullum , qui in eloquentiae castris cum Demosthene aut M. Tullio sit conferendus ; in eam facile suspicionem veniunt , idcirco veteres tantopere excelluisse , tantoque nos ab illis doctrinae interuallo distare , quod aureo saeculo nati sint primo naturae partu , cum vis seminis esset acerrima et terrae benignitas tanta , vt centesimis semper et cum anatocismo responderet. Nos autem deteriori aetate , cum iam solum lassum et emaciatum est , exortos non aequalem mentis aciem , neque eandem ingenii vim , aut perspicaciam habere. Quae si vera essent , liceret vtique nobis de natura grauissime conqueri , quod erga nos non parentem egisset , sed nouercam ; quodque illorum mentibus ingenii florem instillasset et succum , nobis autem quisquilias et porriginem reseruasset. At vero cum ex multis , quae hoc nostro tempore longe subtilius inuenta sunt , aut quae ingeniosius quam antiquis temporibus pertractantur , facile sit intelligere , non tardiora nunc esse , quam olim fuerunt ingenia ; cum insuper et plura et vberiora nobis quam illis praesto sint ad discendum subsidia , quid aliud tandem in caussa esse dicemus , nisi quod nos non eodem

amore, neque eodem, quo veteres, studio honestissimas disciplinas prosequamur? Et quidem incredibile ac prope immensum erat illorum in perscrutanda veritate desiderium; atque adeo inexplebili sciendi cupiditate conflagrabant, vt nihil tam arduum, nihil tam alte positum, ad quod eorum diligentia et industria non peruaderet. Non inauditum aliquid, aut in hoc genere nouum dico. Plena sunt historiarum monumenta, plena vetustatis exempla, plenae omnium gentium literae. Quis enim ignorat, Aristotelem hoc ipso discendi studio inflammatum annos viginti perpetuos diuinum Platonem sic audiuisse, vt ne vnam quidem interim eius lectionem praetermisisse dicatur? Quis ignorat, Platonem ipsum, Pythagoram, Democritum, Anaxagoram aliosque bene multos, summo vitae incommodo, maxime diuersas ac remotas regiones peragrasse, vt ampliorem sibi doctrinae censum compararent? Quid quod Euclides, ille Megarensis auditor Socratis, tanta sciendi cupiditate incenderetur, vt eius rei caussa capitis etiam periculum adire saepissime non dubitaret? Nota res est, et apud omnes gentes satis superque peruulgata; digna tamen, quae saepius repetatur, et ad omnem posteritatis memoriam summis laudibus efferatur. Cauerant Athe-

nien-

nienſes edicto, vt ſi Megarenſium quiſpiam pedem Athenas inferret, ei capitale fieret. Euclides autem, qui Megaris natus, quique antea et eſſe frequenter Athenis et Socratem audire conſueuerat, tantum hinc accepit dolorem tantamque animi aegritudinem, vt mori ſatius quam ab ipſo Socrate diutius abeſſe duceret. Quid ergo conſilii ceperit, quaeſo animaduertite. Sub noctem homo ſagax et acutus muliebri ſtola et pallio orniatur, ac feminarum more capillis reticulo collectis, Athenas per ſummum vitae diſcrimen ad Socratem adit; quodque mirandum magis eſt, rurſus ſub lucem millia paſſuum prope viginti eadem illa veſte tectus domum commigrabat. Quis ſummam hominis conſtantiam non admiratur? Quis diſcendi ardorem incredibilem non videt? Quantum autem fuiſſe putabimus ſciendi deſiderium, quod hominem domi ſuae nobilem a quiete nocturna, a Diis penatibus tectisque patriis, ab omnibus vitae commodis diſtraheret, et tam apertum capitis periculum ſubire ſaepius impelleret? Si reuera idem nobis eſſet erga literas amor, ſi eadem diſcendi cupiditas, dubitandum non eſt, quin magni nunc quoque in omni diſciplinarum genere progreſſus fierent. Non eſſet profecto, cur aetas noſtra heroicis

illis temporibus tantopere inuideret, in quibus praestantissima ac prope diuina ingenia floruisse miramur. Non deessent in vnaque aetate Platones et Archimedes, non deessent Demosthenes et Tullii, si eorum studium ac diligentia minime deessent. Et quidem altero abhinc saeculo tot in omni facultate extiterunt viri clarissimi, qui vt veteres illos sapientiae antistites ingenio superare haud potuerint, ad eorum tamen gloriam quam proxime quidem accessisse videntur. Necesse non est hic vobis ad memoriam reuocare Scaligeros, Sigonios, Lipsios, Grotios, Galilaeos, Cuiacios aliosque complures, qui magna cum ingenii laude et singularis doctrinae fama floruerunt. Quot praeterea fuere praeclara eruditione adolescentes, qui in ipso aetatis flore quasi canescere, et doctrinae maturitatem quandam ac senectutem habere visi sunt? Nolo in illis nominatim recensendis immorari, cum praesertim in oculis omnium sint euulgata ab Adriano Bailletto, viro clarissimo, monumenta, quae ex omni fere literarum memoria collegit de vnis adolescentibus, qui studiis scriptisue editis inclaruerunt. Quid autem illis tantum animi tantumque virium dedit, vt imbecilla aetate grauissimas disciplinas profiterentur, et puerilem

lem praetextam cum philoſophorum pallio commutarent? Doctrinae profecto amor fuit, qui eosdem impulit, incitauit, et, quemadmodum poeta ait, alas addidit, vt feſtinato curſu et incredibili velocitate ad ampliſſimae gloriae faſtigium properarent. Equidem nihil eſt, vt M. Tullius affirmat, quod ſtudio et amore effici non poſſit, nihil tam arduum, tam eminens, quo amor eniti non valeat.

Quanta vero fuerit eiusmodi vis amoris, quantaque cupiditate homines ſapientiſſimi ad optimarum artium poſſeſſionem aſpirauerint, nullo ſane luculentiori argumento dignoſci poſſe crediderim, quam vt videamus diligentiam prope incredibilem, qua eosdem doctrinae aſſequendae cauſſa vſos fuiſſe ex annalium teſtimonio accepimus. Cum enim probe perciperent, inane eſſe ac perridiculum illud ſcidi deſiderium, quod cum ſumma induſtria ac diligentia minime coniungeretur; nulla erat difficultas, nulla vis, nullum incommodum, quo ipſi ab inſtituto ſtudiorum curſu retardarentur; et quo minus perpetuos dies noctesque ſcriberent, aut ſeſe immenſis lectionibus occuparent. Quamobrem Cicero ad Atticum ſcribens de ſe ipſo teſtatus eſt, incredibile eſſe omnino quantum ſcripſerit die, quin etiam

noctibus. Nihil enim, inquit, est somni. De Aristotele autem Laertius memoriae prodidit, eius libros ad quadringentorum paene numerum peruenisse, de quibus nemini sit ambigendum, praeter complura alia volumina, quae ipsimet tribui soleant. Quid vero de Galeno, medicorum principe, dicam, quem libros de re medica quadringentos, de aliis autem disciplinis ducentos quadraginta conscripsisse, auctor est Ioannes Fernelius? Quid de Ser. Sulpicio, viro summo atque doctissimo, quem iuris ciuilis scientiam centum et octoginta voluminibus illustrasse accepimus? Quid demum de Aristarcho Grammatico, qui de multiplici reconditaque eruditione commentarios supra mille literis consignauit? Vt nihil de Theophrasto, nihil de Didymo Alexandrino loquar, quorum ille trecenta volumina, hic vero quatuor millia posteritatis memoriae mandasse dicitur. Quae quidem, vtcunque vera sint, certe sanctissimus Ecclesiae Doctor Hieronymus se librorum Origenis sex millia non vidisse modo, verum etiam perlegisse affirmat. Quocirca in altero scribendi labor, in altero autem legendi studium admirationis habet plurimum. Quamobrem omnes iam, puto, satis intelligunt, quo maiores nostri cursu ad solidam doctrinae lau-

laudem venerint: quo animi ardore, vigilantia, assiduitate, vtque omnia vno verbo complectar, qua diligentia in optimis studiis se gesserint; omne sibi tempus periisse rati, in quo aliquid non didicissent: adeo vt fama sit, Catonem Vticensem, virum celeberrimum, in ipsa quoque Romana curia, dum Senatus cogeretur, Graecos libros lectitare consueuisse. At nostra aetate iuuenes, qui non labori, sed otio, non vigiliis, sed somno, non libris, sed ludis libentissime vacant, literas tamen se amare et in deliciis habere profitentur. Imo, quae incredibilis amentia est, cum laborem et industriam fugiant vt nihil supra, ita tamen sibi de suo ingenio blandiuntur, vt viros perquam doctos et literatos se posse fieri sibimet stultissime persuadeant. Enimuero nobis etiamsi suadeant, vt ait Comicus, non persuadebunt. Nam quae maior excogitari potest temeritas, quam oscitanter et quasi per otium id velle assequi, ad quod obtinendum maiores nostros tot labores suscepisse videmus? At dicet aliquis: non pauci iuuenes praeceleri praediti sunt ingenio, et memoriae vi multa pollent. Quasi vero maiores homines natura tardi atque ingenio hebetes fuerint. Quem autem vnquam post homines natos inuenias, qui cum Pythagora, cum Pla-

tone, cum Aristotele, cum M. Tullio ceterisque eius disciplinae viris sit ingenii praestantia et amplitudine conferendus? Quam ergo illi sibi sapientiae laudem diu multumque laborando compararunt, hanc tu homo ingeniosior minimo negotio, vel etiam, si Diis placet, pauciſſimis diebus referes? O ridicula capita! O stultitiam singularem! At longius iam, quam par erat, progressi sumus. Vt finem dicendi faciam, ad vos, quotquot adestis, ingenui Adolescentes, se conuertit oratio mea: vos magnopere hortatur atque obsecrat. Si maiorum gloriam aemulamini, si dignitatem literatorum hominum, quod sane praeclara vestra indole digniſſimum est, praeoptatis; eorum pariter in discendo ardorem, eorum labores et studium, eorum diligentiam atque industriam imitari velis remisque contendite. Breue profecto vobis atque expeditum patebit ad doctrinam iter, si eorundem vestigiis insistere vos minime pigeat. Magnum quidem et arduum negotium suscepistis: non inficior. Sed illud primo cogitate: nihil esse amanti difficile, nihil arduum, nihil imperuium. Volat, vt aiunt, amor, si quo aliter peruenire non possit. Deinde tantam esse sciendi voluptatem, vt omnis studiorum labor suauissimus fiat; atque etiam saepe, licet sit reuera durus et diuturnus, minime tamen sentiatur.

DE

DE
LAVDIBVS
LEONIS X.
IN
ANNIVERSARIIS EIVS
PARENTALIBVS
ORATIO IX.

HABITA III. IDVS FEBRVARII
AN. M DCC XXII.

Sächsische Landesbibliothek – Staats- und Universitätsbibliothek Dresden
http://digital.slub-dresden.de/id368268268/271
gefördert von der Deutschen Forschungsgemeinschaft DFG

Sanctissimo Domino Nostro

INNOCENTIO XIII.
PONT. OPT. MAX.

Paulinus a S. Iosepho, Scholarum Piarum.

ORATIONEM *hanc, quae de argumenti magnitudine dignitatem sibi aliquam comparauit et ornamentum, supplex, et qua maxime decet veneratione, tibi offero, Innocenti, Pontifex Maxime. Quod plane volens lubensque facio, cum ea, quae in Leone X. suspeximus et admirati sumus, in te quoque et virtutum similitudine et supremae, quam sustines dignitatis maiestate, mirifice conspirare videamus. Etenim quis non intelligit, constituta esse auspicatissimi tui initia principatus ea ipsa duo, quae Leonis nomen immortalitati maxime commendarunt, amorem scilicet et maiestatem? Humanitas quippe illa singularis et amor eximius, qui in te tuaque clarissima familia non tam innutritus esse videtur, quam innatus penitus atque insitus, nihil de Pontificia Maiestate tua detra-*

trahit, imo vero ornat glorioſius. Proinde in Apoſtolicae dignitatis auctoritatem et decus dum omni cogitatione curaque incumbis, vrget interea animum tuum populorum amor et Patriae caritas: cuius inopiae ſubleuandae et publica vectigalia imminuta et alia plura commode opportuneque prouiſa vidimus. Ex quibus ſane fauſtiſſimis regni auſpiciis cur eam nobis reducem feliciſſimam aetatem non ominemur, quam plane beatam atque auream ſuis temporibus Leo X. condidiſſe dicitur? Quod enim ille in omni vita ſua, vt Paulus Iouius ſcribit, id praecipue ſpectauerit, vt benefaciendo et promerendo ab omnibus hominum ordinibus amaretur, nemo eſt, qui te in eiusmodi beneficientiae ſtudio Leonis ſimillimum eſſe non videat: cum erga omnes, qui de rebus tuis vel minimum meriti ſunt, gratiſſimum animum beneficentiſſimumque proueris. In hoc tamen vno te Leonis omnino diſſimilem fore optamus, vt videlicet quam ille felicitatem e viuis immature praereptus breuem admodum et caducam fecit, eam Sanctitas tua, ad populi Romani votum et ad commune Eccleſiae bonum, diu incolumis niſi immortalem, at diutiſſime duraturam exhibeat.

CVM

CVM de Leone X. Pont. Max. praeclarisque eius laudibus, in hac tanta literatorum hominum frequentia, verba de more facere meditarer, et dubius animo haererem, quid eligi potiſſimum ad dicendum poſſet, quod et immortali Viro dignum, et a maieſtate huius loci non alienum eſſe videretur; nouae quaedam admirabilesque virtutum ſpecies cogitanti mihi occurrebant. Obuerſabatur quippe ante oculos regia illa atque excelſa animi magnitudo, qua Leo X. in omni vitae ſtatu tanto ſe ceteris mortalibus ſuperiorem exhibuit, quanto et nobilitate generis et dignitate fortunae ceteros anteibat. Occurrebat quoque beneficentia illius et liberalitas paene incredibilis; qua factum eſt, vt ea tempeſtate auream aetatem poſtliminio ab ipſo reuocatam homines ſibi gratularentur. Rapiebat animum ſumma eius et quaſi diuina in aduerſis fortiter ferendis conſtantia; prudentia et ſagacitas in agendis ſingularis, ſapientia denique ab ineunte aetate tam eximia atque admiranda, vt in ipſa adoleſcentia ea virtutis et dignitatis praemia praeoccupauerit, quae alii vix extrema conſequuntur ſenectute. Ex quibus ſane tot tantisque virtutibus etſi nullam eſſe intel-

intelligebam, quae argumenti magnitudinem quandam et nouitatem non prae se ferret; nihil tamen mihi tam nouum inusitatumque visum fuit in omni Leonis X. vita, quam videre maiestatem in eo vna cum amore fuisse coniunctam. Hoc mihi profecto perquam rarum apparuit maximeque admiranduin. Quandoquidem veterum poetarum iudicio, tum etiam communi hominum sermone percrebuit: non bene conuenire, neque in vna sede morari posse amorem et maiestatem. Sed ex hac ipsa rei nouitate, vnde breuissimae orationis meae argumentum erit, vos PP. ampliſſimi facile intelligetis, quid de virtute ac sapientia Leonis X. iudicandum, cum ea, quae quasi opposita difficillime coniunguntur, in se vno ipse feliciter perpetuoque copulauerit, amorem scilicet et maiestatem.

Nescio quo fato fieri dicam, vt plerique mortalium, quos auitae nobilitatis splendor, aut honoris dignitas et amplitudo supra ceteros extulit, adeo statim supercilium attollant ceterosque fastidiant, vt ipsi non ex hominum numero, sed quasi e Deorum concilio delapsi esse videantur. Putant nimirum cum imperii maiestate eas locum obtinere

non

non posse virtutes, quae quasi communes et populares habentur, humanitas scilicet, benignitas, sermonis facilitas atque mansuetudo. Putant de dignitate sibi detrahi plurimum, nisi superbia et fastu a ceteris internoscantur. Ex qua profecto falsa hominum opinione natum fuisse arbitror peruulgatum illud prouerbium, honores nempe in mores mutationem inducere. Longe tamen aliter Leo X. in omni vitae suae fortuna statuit. In tanta enim domesticae gloriae amplitudine, in tot summis maximisque honoribus constitutus, nunquam se hominem esse oblitus, et nihil humani a se alienum esse putauit. Proinde quemadmodum natura in eius ore atque oculis grauitatem quandam cum incredibili benignitate coniunxerat; ita virtus et praeclara maiorum exempla illius animum ad humanitatem sic informarunt, vt auctoritas cum gratia, amor cum maiestate veluti inito foedere consociarentur. Nam praeterquam quod in ea fuerat ampliſſima domo educatus, vnde superbia et audacia, vt Paulus Iouius scribit, penitus exclusis, verae munificentiae iucunditatis, elegantiae virtutumque omnium cunctis officina patebat; duo praeterea sibi prae oculis erant domesticae glo-

gloriae lumina, magnus videlicet Cosmus et Laurentius pater, quorum alter, ob praeclara erga rempublicam merita, Pater patriae, publici amoris decreto, appellatus fuerat, alter ob singularem beneuolentiam et caritatem non modo suorum ciuium, verum etiam totius Italiae deliciae atque amor aestimabatur. His ergo praelucentibus sibi maiorum exemplis, non obscure intellexit Ioannes Medices, principibus viris nihil esse gloriosius, quam dignitatis maiestatem humanitate ac beneuolentia temperare. Cum itaque in ipso aetatis flore ab Innocentio VIII. Cardinalis, deinde etiam paulo post Legatus totius Etruriae renunciatus fuisset, in ea amplitudine dignitatis ita se gessit, vt incertum fecerit, plusne admirationis haberet adolescentem videre tanta prudentiae laude ornatum tantaque morum grauitate compositum, an vero cum ea, quam sustinebat, Ecclesiasticae personae auctoritate tantam ingenii suauitatem humanitatemque coniunctam. Permirum sane videbatur, homini adolescenti ad maximas imperii difficultates expediendas, et ad consilia cum de rebus priuatis tum publicis capienda, parem inesse animi maturitatem atque prudentiam. Sed admi-

ratio-

rationem huiusmodi ſuperabat, quod non tam Legati auctoritatem, quam optimi ciuis amorem erga omnes ſtudiumque patefaceret. Quo plane miraculo factum eſt, vt per Etruriam vniuerſam eius ſapientiae fama nomenque celebraretur; et non modo ſingulae illius prouinciae, ciuitates, honores ei publice ſtatuerent, ſed ii quoque omnes, qui ex tanta Mediceorum gloria inuidia dudum disrumpebantur, eximiam eius virtutem admirari coeperint atque amare. Vsque adeo ſingularem ſibi conciliat gratiam virtus cum dignitate coniuncta.

At fortaſſe mirandum non eſt, quod ciues inuidos et inimicos humanitate ac beneuolentia deliniret, cum efferatos quoque militum animos in ſui amorem pertraxerit ac venerationem. Ardebat iam multos annos Aemilia prope vniuerſa bello teterrimo ac periculoſo. Vaſtati vbique agri, ſuccenſae domus, direptae bonorum fortunae; atque Vrbes ciuilibus odiis magis quam bello conflagrantes partim a Romani Pontificis imperio defecerant, partim in exterarum gentium poteſtatem aut vltro ſe dederant, aut vi armisque redactae fuerant: omnia poſtremo armorum terror ac belli furor inuaſerat. Vt

igitur

igitur tot tantisque malis, quibus iampridem diuina atque humana omnia permiscebantur, Iulius II. Romanus Pontifex tempestiue occurreret, ad arma veniendum esse putauit, agendumque vi et gladio, vbi religione contempta, neque paternae reuerentiae dignitas, neque Romanae Sedis auctoritas valuissent. Comparato itaque instructissimo longe omnium exercitu, Ioannem Medicen Cardinalem ad eam prouinciam Legatum Apostolicum renunciauit. Qua quidem ardua ac periculorum plena legatione susceptа, Ioannes ita non modo fidem suam, operam diligentiamque eidem Iulio, acris sane ingenii ac iudicii viro, probauit, sed tantam etiam apud omnes existimationem obtinuit, vt milites ipsi Ioannem Medicen non legatum ex hac vrbe missum, sed hominem quasi de caelo delapsum intuerentur. Quoties enim prodiret in publicum, quoties in conspectu exercitus staret, tantus fieri solebat centurionum ac militum concursus sacram purpuram manu tangere atque osculari cupientium, vt nimia pietate signa deseri, et quasi dissolui militares ordines viderentur. Vnde autem tam praeclara atque insignis hominum opinio? Vnde tam illustria religiosae

venerationis officia? Opinentur sane alii, tantam fuisse in ea legatione Ioannis sapientiam, tantum consilium, pietatem ac religionem, vt non immerito omnium erga se studium excitauerit atque amorem. Ego profecto non repugnabo; cum proditum sit memoriae, pecuniam saepe ad licentiam militum coercendam eorumque explendam cupiditatem, illum summa liberalitate impertiuisse; imo etiam aliquando sese vulneribus obiectare non dubitasse, vt matronarum dignitati, aut virginum pudori consuleret. Verum sic existimo, etsi nihil ceteris virtutibus detrahendum esse videtur, negari tamen non posse, quin beneficentia atque amore omnium sibi studia ac venerationem promeruerit. Auctoritas enim cum gratia, vt Stoicus inquit, homines non solum amabiles, sed venerabiles efficit. Quamobrem etsi imperatoria dignitas milites continet; ita tamen continet, vt imperatorem aut metuant, aut oderint. Imperii autem maiestas cum beneficentia ad obsequium pariter atque amorem impellit.

Quid vero diutius obsequia militum demiramur, cum et hostis, qui natura tum etiam

etiam victoria insolens ac superbus erat, Ioannem Medicen imperio exercituque spoliatum summa religione colat ac mirandum in modum veneretur? Nam ingenti a nostris calamitate ad Rauennam accepta, caesoque ex maiori parte exercitu, cum Legatus ipse, qui in hostium potestatem venerat, Mediolanum captiuus et quasi per triumphum ductus fuisset, nequaquam tamen animo concidit, nec dignitatis, qua praeditus erat, maiestatem abiecit. At sereno placidoque vultu milites alloquutus, tam grauiter sapienterque Romani Pontificis caussam egit, vt Pisani Concilii improbitate damnata, totus ille in Iulii Pontificis odium concitatus exercitus errorem agnosceret suum, ac supplex veniam deprecaretur. O singularem hominis virtutem! O sapientiam admirabilem atque omni laude, praedicatione, literis monumentisque decorandam! Desinant veterum annalium historiae summis laudibus ad caelum extollere Scipiones Africanos, Iulios Caesares, Cn. Pompeios aliosque clarissimos Imperatores, quod clementia et inusitata quadam imperii dignitate, non suis tantum, sed hostibus etiam diuini quodammodo ac venerabiles essent. Illi siquidem victores gen-

tium, expugnatis vrbibus ac prouinciis igne ferroque ſubactis, vi et armis ſuam et Pop. Rom. maieſtatem vindicabant. Quod vero Ioannes non imperio munitus, non exercitu inſtructus, non victor, ſed victus, ſed captiuus Apoſtolicae dignitatis auctoritatem propugnauerit, quod armatae multitudinis animos non armorum terrore ac minis, ſed benignitate atque humanitate deuicerit, et ad Romani Pontificis voluntatem deduxerit, quis pari eloquentia explicare poterit? quis vnquam ſatis pro dignitate laudare?

At maiora nobis occurrent amoris et maieſtatis argumenta, ſi Ioannem ipſum ad Vaticani faſtigium iam euectum et magnanimo Leonis nomine decoratum contemplemur. Quid enim magnificentiſſimus ille apparatus atque ea ſolennis pompa, qua Pontifex ſalutatus ad Baſilicam Lateranenſem primo perrexit; tanto videlicet Purpuratorum Patrum ſplendore, tot clariſſimorum Principum comitatu ac tam incredibili hominum concurſu, vt a Gothicis temporibus Romae nec illuſtrius, nec magnificentius ſpectaculum viſum fuiſſe Paulus Iouius teſtetur? Hoc autem totum etſi ad illius maieſtatem referri debet, amoris tamen ſingularis argumentum certe fuit

ſparſa

sparsa a Quaestoribus per omnes Vrbis regiones aurea et argentea pecunia tam liberaliter effuseque, vt centum millibus aureis eam liberalitatem Pontifici stetisse, Quaestores ipsi faterentur. Quid praeterea veteres paternae domus inimici, omnes statim in gratiam perhumaniter recepti, quorum alii e longinquis regionibus, vbi misere degebant, benigne euocati sunt et re familiari atque honoribus aucti; alii e vinculis, quibus detinebantur, soluti ac libertati patriaeque cumulatissime restituti? Intelligebat enim Pontifex sapientissimus, nihil esse tam regium, vt M. Tullius inquit, tam liberale tamque munificum, quam opem ferre supplicibus, excitare afflictos, dare salutem, liberare periculis homines. Intelligebat, nihil esse laudabilius, nihil magno et praeclaro viro dignius placabilitate et clementia.

Dum autem mente mecum ipse reputo, quae Leo X. in absoluendo Lateranensi Concilio, quod iampridem Iulius Pontifex inchoauerat, opportune sapientissimeque constituit; dubius plane haereo, maioremne in eo sibi partem vindicauerit amor, an vero maiestas: imo vt verum fatear, magnum et acre video diffidium inter amorem et ma-

ieſtatem, vtri videlicet gloriae tribuendus ſit principatus. Nam etſi fraenata ſanctiſſimis legibus nefariorum hominum audacia, ſpoliati iure imperii principes perduelles, ſancita pluriṁa cum potentiſſimis regibus foedera, inſtructae ingentes claſſes, repreſſi conatus atque arma Selymi, crudeliſſimi Turcarum Imperatoris, et ſexcenta alia grauiter prouidentiſſimeque conſtituta incredibilem Leoni X. conciliauerint maieſtatem: cum tamen nemini dubium ſit, quin ille haec omnia cogitauerit atque perfecerit, ob ſummum Chriſtianae religionis propugnandae amplificandaeque ſtudium, quo nimirum vehementiſſime incenſus nuncios et epiſtolas miſit tum ad Abyſſinorum regem, tum ad magnum Moſchorum ducem, tum etiam ad alias plurimas remotiſſimas Aſiae gentes, vt deterſa, ſi fieri poſſet, errorum labe, in Eccleſiae Romanae ſinum reciperet vniuerſas; quis facile diiudicare poſſit amorine, an maieſtati magis ſit tribuendum? Quod autem ad tollendas e Chriſtiana republica turbas, iis omnibus veniam indulgeat, qui turbulentiſſimis factionibus Iulium II. diu obſtinateque vexauerant; quodque Caruaialem et Sanſeuerinum, perduellionis reos, ab ipſo Iulio Pontifice

tifice Purpurae dignitate et sacerdotiis omnibus expoliatos summa clementia paternoque amore complectatur et ad omnem pristinae dignitatis splendorem restituat: in hoc sane dedit praeclarum amoris sui testimonium. At enim, ex ampliſſimo senatu, nescio quem, maiestatis reum, plane conuictum, more maiorum a Leone X. fuisse mulctatum, testantur historiae. Ita profecto: at vero vindicis maiestatis poenas amor quidem excepit. Quandoquidem in ipso capitalis sententiae die vnum atque triginta Cardinales, viros ex omni prope natione virtute, doctrina nobilitateque clariſſimos summa et inusitata liberalitate cooptauit. Quo quidem tam amplo atque illustri senatorum delectu non modo populo Romano, sed omnibus fere gentibus singularem suum probauit amorem ac voluntatem beneficentiſſimam.

Verum populo Romano beneficentia huiusmodi communis quidem cum ceteris gentibus interceſſerit. Quis autem dicendo complecti valeat, quibus maximis eundem beneficiis cumulauerit eiusque nomen ad sempiternam posterorum memoriam illustrauerit? Mitto publica vectigalia imminuta, praetereo Triumuiralem Conseruatorum Vrbis potestatem

ſtatem amplificatam, nihil loquor Romanos ciues cum praemiis tum immunitatibus priuatim publiceque donatos et alia plurima, in quibus plane amor cum maieſtate triumphare viſus eſt. Quantum vero ſplendoris atque amplitudinis hanc Vrbem conſequutam fuiſſe putabimus, tot viris ingenio, doctrina ſapientiaque clariſſimis ab eo Romam, magnis propoſitis praemiis, euocatis; ex quorum domicilio Roma ipſa, vt olim de Athenis fama eſt, diſciplinarum omnium altrix et mater facta eſſe videbatur? Negari profecto non poteſt, quin ex florentiſſimis hiſce ingeniis aurea illa literarum aetas, quae Auguſti aeuo floruiſſe dicitur, Leonis beneficentia in hac ipſa Vrbe reſtituta populum Romanum ad veteris gloriae poſſeſſionem, vnde a Gothicis vsque temporibus turpiter deiectus fuerat, ampliſſime reuocauerit. Quamobrem mirandum non eſt, quod idem Romanus populus ſolenni ordinum omnium decreto ſtatuam marmoream optimo liberaliſſimoque Pontifici in Capitolio dedicauerit, vt gratiſſimi animi ſui ſtudium et immortales gratias publici amoris monumento profiteretur.

Iam

Iam vero temporis anguſtia eo me ductum video, vt vela colligere neceſſe ſit, et quaſi in medio orationem abrumpere. Vnum tamen, de quo et parentalia haec ſacra et ampliſſimi huius loci parietes me quodammodo admonere videntur, praeteriri nullo modo poteſt; hoc ipſum ſcilicet Romanum Archigymnaſium a ſapientiſſimo Pontifice tam ſplendide, tam magnifice reſtitutum. Qua quidem in re quantum magnanimi Principis regia beneficentia effulgeat, cui tam rude, aut tam plumbeum ingenium, vt non agnoſcat? Reſtitutis enim optimis diſciplinis, nonne vberrimos in hac Vrbe reclusit fontes, vnde tum populus Romanus, tum ceterae gentes et ornamenta pacis et belli praeſidia perpetuo ſibi compararent? Quod autem illuſtrius paterni amoris indicium, quam ſingulari eiusmodi beneficio non praeſentibus tantum prodeſſe, ſed poſteris, non vni ciuitati, ſed terrarum Orbi prope vniuerſo? quanta vero Pontificiae maieſtati dignitas, quantus Romanae Vrbi ſplendor ex hac doctiſſimorum virorum palaeſtra acceſſerit, quis dicendo paucis complecti valeat? quot enim in omni aetate ex grauiſſimo iſto magiſtratu, ex his ſubſelliis, homines eximia virtute ac doctrina ornati ad

ſacras infulas, tum etiam ad Romanae purpurae dignitatem fuerunt euecti? Quamobrem etſi cetera omnia argumenta deſint, hoc vnum tam regium, tam munificum ſapientiſſimi Pontificis opus longe quidem melius quam mea dicendi imbecillitas ad omnem poſteritatis memoriam praedicabit Leonem X. virum beneficentiſſimum, parentem Orbis amantiſſimum vnoque verbo, Principem amoris plenum et maieſtatis.

DE

DE

INGENIORVM DELECTV AD STVDIA LITERARVM HABENDO.

ORATIO X.

HABITA IV. IDVS NOVEMBRIS,
AN. M DCC XXIV.

Sächsische Landesbibliothek – Staats- und Universitätsbibliothek Dresden
http://digital.slub-dresden.de/id368268268/289
gefördert von der Deutschen Forschungsgemeinschaft DFG

NEMO vestrum ignorat, quid valeat, quantamque vim habeat cum in homine, tum in ceteris animantibus disciplinae ratio atque industria. Nam vt de equorum ingenio, qui in oculis nostris assidue versantur, nihil dicam, qui etsi primo furentes et effrenes nullius imperio regi posse videntur, ita tamen paulatim domitoris industria atque arte flectuntur, vt omni ferocitate posita admirandam plane docilitatem induant; quid est, quod psittacos picasque docuit humanas voces expedite reddere, et quasi hominum more, vt Plinius inquit, sermocinari? Mens autem hominis per se rudis, et, quemadmodum Aristoteles ait, quasi nuda pictorum tabula, si studium accesserit et disciplina, nonne ad id sapientiae peruadit, vt nihil tam arduum sit, quo non pertingat, nihil tam sublime, quod assequi minime valeat? Quo quidem in genere vt cetera, quae ad literarum studia nequaquam pertinent, recordari omittatis; quid Platones et Archimedes, ingenii principes ac doctrinae, quid Homeros et Virgilios, clarissima poetarum lumina, quid demum Hippocrates et Galenos, medicorum signiferos, eo dignitatis et gloriae prouexit, vt de illis sine laude dicere nemo possit,

poſſit, eosque homines quaſi diuinos et ad nos erudiendos e caelo miſſos omnis poſteritas veneretur? Induſtria nempe fuit et diligentia, qua animi et ingenia mortalium mirum in modum excoluntur, et quae a ſtudio bonarum artium honeſtiſſimo ſeiungi ac dimoueri nullo modo poteſt. Hinc enim accepimus immenſos eorum labores, diuturnas vigilias, permoleſtas peregrinationes, creberrima itinera et ſexcenta alia doctrinae cauſſa incommoda vitae ſuſcepta: vt facile diiudicari non poſſit, vtrum plus induſtriae, an ingenio accepta referri debeat eorum tota quanta eſt ſapientiae ratio et amplitudo. Quanquam autem in labore et induſtria ſita tanta vis eſt, vt nihil ſupra; vndenam fit, vt in optimis artibus addiſcendis haud raro ſummae contentioni et complurium annorum induſtriae nullus, aut certe exiguus doctrinae fructus reſpondeat? Sentiant alii, quod volunt. Ego quidem ſemper in ea ſententia fui, nec ad literarum ſtudia omnia ingenia apta eſſe, nec ad ſingulas diſciplinas ſingula ingenia. Atque hinc fieri non dubito, perplures adoleſcentes in literarum curſu labore quidem maximo ac diuturno defatigari, at vix mediocrem aliquem, pro eiusmodi conatu ac diligentia, pro-

progreſſum facere. Qua quidem in re quia multos eſſe intelligo, qui cum magno liberorum ſuorum incommodo, tum etiam ſummo rei literariae damno miſere hallucinantur, me operae pretium facturum exiſtimaui, ſi in hoc primo ſtudiorum aditu ea in medium afferem, quae et falſam eorum opinionem conuellerent, et ingeniorum delectum ad literarum ſtudia maxime neceſſarium eſſe demonſtrarent.

Quod autem ſint ſemperque fuerint homines ſic mente et ingenio deſtituti, vt ad optimarum artium ſtudia inepti prorſus exiſtant, nemini obſcurum eſſe arbitror. Quemadmodum enim natura non omnibus agris fertilitatem eſt impertita, ſed infoecundos ſterilesque nonnullos deſeruit, qui, quocunque labore aut induſtria excolantur, frugem nullam afferunt: ita iuuenum ingenia aliquando videas ſic effoeta atque arida, vt ab iis nullus doctrinae fructus ſit expectandus. Eiusmodi olim fuiſſe ſiue caeli atque aeris craſſitie, ſiue alio quouis eius regionis vitio, Boeotii atque Thebani dicuntur, quos multum virium, ingenii minimum habuiſſe legimus. De Thracibus autem Ariſtoteles tradidit, eos ingenio tam pingui fuiſſe ac memoria

pro-

propemodum nulla, vt ne quaternarium quidem numerando tranſcendere valerent. Ex hoc nimirum genere procreatos crediderim eſſe non paucos adoleſcentes, quorum cum ingeniis qui conflictatur, litus quidem arare, quod aiunt, aut Iſthmum fodere ſuſcepit. Haec tamen calamitas non tam ſaepe accideret, ſi bonarum artium profeſſores aut miſericordia erga miſeros iſtiusmodi iuuenes commoti, aut conſcientiae ſtimulis acti, Abladenſis Apollonii rhetoris praeclaro ſatis exemplo ineptos hoſce diſcipulos operam apud ſe perdere nequaquam paterentur, et ad quam vnumquenque artem idoneum iudicant, ad eam ſerio cohortarentur atque dimitterent. Sed valeant iam, valeant quotquot inuita Minerua nati muſas et Apollinem auerſantur. Vos enim compellat oratio mea, Adoleſcentes optimi, praeſtantiori indole ac felici ingenio ornati, quos Iſocrates Deorum immortalium filios appellare ſolebat, quippe qui intelligendi facilitate ac diuino ingenio parentes Deos referre videmini. Vos, inquam, ſpectat quicquid de ingeniorum delectu inſtituendo dicam. Inter vos enim alios in mathematicis diſciplinis, alios in phyſicis, alios in arte medica, alios in iure ciuili, partim in re poe-

poetica, partim in dicendi facultate praestantissimos fore non dubito; si vnusquisque vestrum in id studendo sedulo incumbat, ad quod natura duce propendet, et ad quod prope factus esse videtur. Quemadmodum enim, vt poeta inquit, non omnis fert omnia tellus; ita sane non omnes, qui nostra vel maiorum aetate claruerunt homines sapientissimi, omnem artem assequutos fuisse videmus, sed singulos in singulis praestitisse.

Verum vt inde orationi aditus pateat, vnde potissimum omnis ratio ducenda esse videtur; primo quidem nobis diligenter est attendenda mira illa ingeniorum varietas, qua homo alter alteri non minus est, quam vultu atque ore dissimilis. In aliis enim intelligendi acumen et sagacitatem incredibilem admiramur, qua facile omnium oculos ad se conuertunt oratione venusta atque expedita, tum etiam salibus et iocis, quos semper in promptu habent, quibus ipsi saepe maiorem sibi opinionem, quam alii multo studio ac diligentia creant. In aliis vero tarditatem et quasi stuporem quendam mentis videmus: qui sermone parci sunt ac statarii, vt proinde illis oratio non tam fluere, quam stillare videatur. Alii autem intelligendo minus acu-

ti,

ti, nihilominus memoria pollent firma et praeſtantiſſima: alii contra ingenioſiores, ſed omnium maxime obliuioſi: alii denique tum memoriae vi, tum intelligentiae acumine inſtructi, vtraque facultate mirum in modum excellunt. Nolo hac in re Aſtrologorum deliramenta conſectari, et varietatem eiusmodi ad neſcio quas Planetarum coitiones referre: nolo Philoſophorum ſectas et opiniones excutere. Illud mihi nec abſurdum, nec a veritate alienum eſſe videtur, varias huiusmodi ingeniorum formas e multiplici diuerſoque, quod vnicuique ineſt, temperamento proficiſci: cum ſatis exploratum ſit, non aequalem ſemper in nobis percipiendi facultatem, quae a ſenſibus ortum habet, vigere; ſed pro diuerſa corporis temperie illam modo acrem et robuſtam, modo fractam et imbecillem exiſtere. Cum itaque tanta ſit ingeniorum diſſimilitudo, quanta vix corporum eſſe ſolet; quis non videt diſſimilem inde ſingulorum virtutem fore, nec eundem vnquam ab vniuerſis progreſſum eſſe ſperandum? Platonem legimus ingenia hominum cum metallis comparare fuiſſe ſolitum: quorum alia quidem aurea, alia ferrea, aut plumbea, partim ſtannea, partim argentea, par-

tim denique e variis conflata metallis esse dicebat. Quod plane in rem nostram quadrare satis apte videtur. Quandoquidem ad diuinas et sublimiores scientias, quae aurea nimirum ingenia exigunt, is frustra incumbit, cui ferreum, vel plumbeum, vt Platonis more dicam, ingenium habere contigit. Frustra subtiliora Geometriae problemata, frustra reconditos naturae aditus rimari tentant ii, quibus hebetior mens et tardi ad percipiendum motus. Reptare humi contenti sint, quibus natura volucre negauit ingenium, quo ad alta ferantur, ne Icari audaciam imitari velle videantur. Quemadmodum autem non eadem est, vt paulo ante dixi, in omnibus intelligendi facultas, sed varia admodum et multiformis; ita quoque multiplex et diuersa est natura scientiarum, quae non omnes idem ingenii acumen, sed diuersos intelligendi gradus virtutesque deposcunt. Quaedam enim, vt Algebra, vt Metaphysica, vt Theologia aliaeque plures, ad contemplandum natae, singularem percipiendi celeritatem et igneam vim mentis postulant. Quaedam vero tarditatem magis quandam amant cum ingenii maturitate coniunctam, vt Medicina et Iuris scientia. Aliae peramplum volunt, vbi spatientur memoriae

moriae campum, quemadmodum Hiſtoria, Geographia et omnia fere linguarum ſtudia. Aliae denique cum tenaci memoria ingenium viuidum et bene ſubactum, quales ſunt dicendi facultas, ars Critica, et quae de Theologicis dogmatibus agit, diuina ſcientia. Quocirca etſi per ſe difficile eſt, rem ampliſſimam definire, et certam vnicuique diſciplinae menſuram ingenii tribuere; hoc tamen ex eo difficilius eſſe video, quod praeoccupatam quisque habeat de ea, quam profitetur, ſcientia opinionem; ad quam ingenium longe omnium optimum depoſci omnino ſibi perſuadeat, et alter alteri concedere haud quaquam velit. At vero negari non poteſt, id, quod experientia fere quotidiana exploratum eſt atque perſpectum, duos ſcilicet homines, et ingenio et pari induſtria praeſtantes, perſaepe in vna eademque facultate, atque eodem magiſtro, non aequaliter proficere: immo aliquando fieri, vt alter incredibiles in eo ſtudii genere progreſſus faciat, in quo alter ſic haeret atque implicatur, vt ab eiusmodi vadis emergere nullo modo poſſit. Quid ita? Nonne quod alter, quanquam intelligendi vi multa praeſtet; eo tamen ingenii temperamento caret, quod ad eius generis diſcipli-

nam est apprime necessarium? Multos ego noui adolescentes, qui in elegantioribus literis et eloquentiae studiis nullum egregiae indolis specimen dederant, magno deinde ingenio, in Dialectica, in Geometria, tum etiam in iure Ciuili instructos apparuisse.

Vsurpari solet communi sermone, et quasi prouerbii locum obtinuit: poetas quidem nasci, eosque non tam arte ac studio, quam natura et diuino quodam instinctu valere. Homines enim cum viderent aliquos ad pangendum carmen mira ingenii facilitate duci, aliis vero per diuturnos labores ac vigilias id minus licere; poetas caelesti quadam vi ac diuino spiritu afflari putarunt. Quocirca si quid fingere ac poetice ludere velint, non intercedo. Si vero quae causa sit, serio requirant; hoc pro certo habeant, ad poeticam facultatem, ebullientem ingenii feruorem et ingentem mentis impetum postulari, quo homines quodammodo furere, et oestro quodam perciti esse videntur. Hoc autem qui carent, frustra musis et Apollini litare contendunt. Quamobrem, vt Quinctilianus animaduerterit, optimus quisque poeta esse debet εὐφαντασιώτος, is scilicet, qui sibi et res et actus simillimos veri scite ac venuste confingere

gere valeat. Quod quidem de poetis argumentum nemo non videt in ceteras quoque diſciplinas ſatis commode cadere. Atque hinc M. Tullius ad informandum eum, quem ipſe in libris de Oratore inſtituit, optimum dicendi magiſtrum, id maximae curae eſſe debere ac prae ceteris attendendum monet, vt primo ingeniorum delectus diligenter accurateque habeatur. Praecipuum eſt, inquit, vt doctor animaduertat ingenium et naturam diſcipulorum. Quinctilianus autem, de quo paulo ante, aeſtimandorum et ipſe ingeniorum peritiſſimus, examen huiusmodi tanti quidem fecit, vt illud iam inde a pueritia omnino fieri iubeat. Tradito ſibi puero, ait, docendi peritus ingenium eius in primis naturamque perſpiciat. Intelligebant quippe homines ſapientiſſimi, naturae non debere vim fieri, ſed ad quod vnumquodque natum eſt, eo eſſe adhibendum. Siquis enim a teneris, vt Graeci dicunt, vnguiculis pingendi artem non alio, niſi natura duce imitetur; non eſt, cur in conſectandis latinae linguae elegantiis, aut in Dialecticorum ſubtilitatibus extricandis aetatem atque operam fruſtra conſumat. Ea ipſe feruet phantaſiae vi, vt, quotquot ſibi ob oculos rerum imagines veniunt, totidem ad-

umbrare coloribus et non inscite exprimere valeat. Erit profecto, erit in pingendi facultate dux et imperator: at vero in humanioribus literis, in Philosophiae castris vix erit inter calones, aut gregarios milites recensendus. Neminem vestrum latet, quod de Andrea Vesalio, viro cum Medicinae, tum Anatomiae peritia clarissimo, memoriae traditum legimus: qui adhuc puer, quotquot mures, talpae, glires, vel etiam canes atque feles sibi in manus veniissent, totidem dissecare et in singulorum membranas, omenta ac intestina penitus introspicere solebat: eo videlicet illum natura ducente, vt aetate maturus Anatomiae scientiam iam pene intermortuam in lucem restitueret. Exploranda est itaque, et quidem sedulo, antequam disciplinis instituenda tradatur iuuentus; vt in re tam ardua vniuscuiusque quid ferant humeri, vt aiunt, quid ferre recusent, probe internoscatur. Iure quidem merito permirum Diogeni videbatur, homines, qui neque ollam, neque operculum emerent, nisi primo idem pulsu et tinnitu satis exploratum habuissent, at vero in homine emendo vno aspectu esse contentos. Quid vero de adolescente summae spei atque egregiae indolis, vnde familiae splendor omnis ac dignitas, in

vna vel altera diſciplina collocando? Nullumne fieri debet experimentum, nulla habenda naturae ratio, nulla de eius ingenio ſolicitudo, perinde quaſi mancipii alicuius emptio ageretur? Quid ergo miramur, iuuenes nauos et induſtrios in Academia tempus non minus quam aetatem terere; cum non ſua, ſed parentum voluntate iis ſtudiis animum appulerint, a quibus maxime abhorrent? Iſtis nimirum culpa parentum eorundem accidit, quod de Periandro quodam medico Plutarchus memorat. Is enim cum medendi arte ſatis abunde praeſtaret, in eam dementiam venit, vt poeta fieri vehementer cuperet, et ſeſe totum pangendis carminibus daret. Sed cum id muſis aduerſis faceret, pro laude cachinnos et ludibria referebat. Quare Archidamus, eius neceſſarius, ad ſanandum tam mali poetae furorem, eundem grauiter obiurgans, quid, inquit, tibi accidit Periander, quod pro eleganti medico malus poeta vocari appetas? Non diſſimili plane ratione pleriqu: homines, qui oratores, aut philoſophi, aut geometrae praeſtantiſſimi euaderent, quod ad eiusmodi diſciplinas ingenium longe omnium aptiſſimum a natura acceperint; ab aliis, in quibus inuita Minerua occupantur ſtudiis, ſummam referunt pro dignitate ac laude vituperationem. Hoc autem

quanto ét professorum incommodo et optimarum artium damno fiat, paucis quidem explicari non potest.

At enim a Quinctiliano, cuius doctrinam et auctoritatem praedicas, illud accepimus, neminem reperiri, qui nihil studio sit consequutus. Praeterea quot extiterunt hebeti tardoque ingenio viri, qui ad dicendi facultatem, vel ad Philosophiae studia ineptissimi esse videbantur: qui nihilominus eam naturae tarditatem sic pertinaci labore vicerunt, vt oratores elegantissimi, et non barba ac pallio tantum, sed moribus quoque et doctrina philosophi illustres euaserint; quemadmodum de Heraclide, de Cleante, de Xenocrate aliisque pluribus historiae loquuntur? Itane vero? Si liberorum vestrorum voluntatem erga literarum studia ita cognitam habetis eamque non minus quam in Cleante et Xenocrate perpetuam atque constantem; non repugno. Quamcunque ipsi fortuna dederit studiorum rationem, eam statim complectantur: vtique laudem plurimam ex assiduo huiusmodi labore consequentur. Quod si in illis neque ingenii, neque industriae par ratio fuerit; non est, cur aliquis sibi stulte blandiatur: nullum omnino fructum decerpent ex eo studiorum genere, in quo inuito

to reluctantique animo detinentur. Quid ſi nec valetudine ſatis firma, nec ad diuturnas vigilias grauiſſimosque labores perferendos ſatis apti? Huc accedit, auſteram illam veterum diſciplinam, qua ipſi ob incredibilem doctrinae amorem ab omni prorſus voluptate, a ludis iocisque interdictum ſibi eſſe volebant, ita iam in deſuetudinem abiiſſe, vt quod aurei illius ſeculi virtus extitit, nunc fere vitium et ruſticanae vitae genus eſſe videretur. Ego vero cum plerosque aetatis noſtrae adoleſcentes intueor, cum eorum comas molliter fluentes et ipſos ſibi vno digito ſcalpentes caput contemplor; vix animum inducere poſſum, vt eosdem tam graui labori ferendo pares eſſe concipiam. Minuatur igitur, quantum fieri poteſt, ſtudiorum labor. Mollis et delicatulae noſtrorum temporum iuuentutis ratio habeatur, vt nimirum in literis minimio ſudore proficiat. Hoc autem tum commode fiet, cum exploratis ingeniorum viribus, ad eam vnusquisque liberalem artem aptabitur, ad quam voluntate et ſuapte natura ducitur. Non erunt tunc ſane iuuenes ad ſcholas tanquam ad piſtrinum metu poenisque cogendi. Amabunt ipſi quoque literas, et expedito ſatis curſu doctrinae metam attingent.

Arithmeticam pueris, vt Laertius refert, obiiciebat Pythagoras, nihil opportunius esse ratus ad aciem mentis examinandam exacta computandi ratione: quod videlicet ingenii difficultas ab ipsa numerandi tarditate non aegre dignoscatur. At Graeci omnes, homines sapientes et peracuti, ingeniorum naturam et amplitudinem non alio sane modulo nisi Geometriae studio metiendam esse existimabant: neque ad Philosophiae arcana quenquam recipiebant, cui non fuisset ingenium geometricis rationibus bene excultum atque limatum. Vtinam eiusmodi consuetudinem a Graecis traditam maiores nostri tenuissent eamque ad nos sartam tectam deduxissent. Profecto aut ego fallor, aut incredibile iam nunc habuisset rerum naturalium scientia, tum etiam ceterae disciplinae incrementum. Verum aliae quoque sunt ab aliis sapienter excogitatae explorandorum ingeniorum rationes, quas ego minime reprehendo: quippe quae si prudenter adhibeantur, suum robur suamque vim sint habiturae. At ne longius rem prosequendo patientia vestra abuti velle videar, orationis filum abrumpo; eaque plura, quae de ipso ingeniorum delectu recte instituendo dici possent, sapientiae iudicioque vestro decernenda relinquo.

DE

DE
LAVDIBVS
LEONIS X.
IN
ANNIVERSARIIS EIVS
PARENTALIBVS
ORATIO XI.

HABITA III. KALEND. MARTII
AN. M DCC XXVI.

Sächsische Landesbibliothek – Staats- und Universitätsbibliothek Dresden
http://digital.slub-dresden.de/id368268268/305
gefördert von der Deutschen Forschungsgemeinschaft DFG

SI quis est, qui forte putet, haec parentalium solennia, quae Leoni X. Pont. Max. quotannis in hoc ampliſſimo loco et hac tanta celebritate fieri consueuerunt, ad hanc vnam Romanae Sapientiae sedem et ad vos tantummodo P. C. gratique animi vestri significationem pertinere, is certe fallitur atque in summa rerum ignoratione versatur. Illustris enim ac sempiterna tanti Pontificis recordatio non his solis parietum anguſtiis, non vno huius loci ambitu continetur; sed ad totam, quantacunque est, Vrbem Romam, ad Italiam vniuersam, ad Germaniam et Galliam, imo ad omne genus hominum latiſſime peruagatur. Quis enim est hodie tam inacceſſus, aut tam remotus in terris locus, quo sapientiſſimi huius Principis fama, aut eius regiae beneficentiae fructus aliquis non peruaserit? Quae, quae hominum natio, cui vel minima bonarum artium disciplina accesserit, quam celebratiſſimum Leonis X. nomen diuinaque virtus admiratione non compleuerit? Omnes profecto literae, omnes Academiae, quotquot sunt, celeberrimae Leonem X. ad caelum summis laudibus efferunt; eumque optimarum artium felicitati natum et communem literarum paren-

rentem omnes vna mente atque vno ore conclamant. Quid igitur ego in hac mea mediocritate ingenii dicendique tenuitate potissimum afferre potero, quod neque a summa laudatissimi viri amplitudine alienum esse, neque a dignitate ornatissimi huius loci, cuius ipse instaurator fuit beneficentissimus, abhorrere videatur? Satis mihi erit verbis paucissimis indicare, quibus tandem solidis fundamentis hae tantae Leonis X. laudes vbique excitatae fuerint, ad omnem posteritatis memoriam stabiles firmaeque permansurae. Quod quidem me satis commode spero consequuturum, si ceteris quam plurimis et clarissimis eius virtutibus hodierno die praetermissis, vno mihi argumento sumam amorem illum ingentem ac prorsus incredibilem, quo Leo X. literas literatosque omnes auidissime prosequebatur. Nam hinc facile erit intellige-re, hoc vno nomine sapientissimum virum omnium gentium sibi studia promeruisse et omnium aetatum praedicationem. Atque hoc ipso iure Romana haec nostra Academia quotannis eum publice laudare ac solenni ritu gratias agere consueuit.

Fuerant sane superiori aetate complures Romani Pontifices, homines sapientissimi,

qui

qui optimarum artium ſtudia promouere, tum etiam praemiis exornare operae pretium duxerunt. Eiusmodi laudem aſſequutos fuiſſe Innocentium et Eugenium IV. Clementem et Nicolaum V. Pium II. aliosque plures ex annalium memoria accepimus. At vero, qui ardentiori ſtudio, aut propenſiori voluntate erga ingenuas diſciplinas cum Leone X. comparari poſſit, neminem fuiſſe contendo. Quod enim in ſumma reipublicae tranquillitate atque otio, cum opes integrae atque aerarium opulentum literarum ſtudia tutelam ac patrocinium inueniant, non eſt valde mirandum, neque a veteri conſuetudine alienum. Tunc equidem Romana respublica rhetores ac poetas aliosque liberalium artium profeſſores ad hanc Vrbem inuitauit benigneque complexa eſt, cum iam Punico ſecundo bello confecto, et Carthagine, illa Romani imperii aemula, funditus euerſa, in otio paululum reſpirauit. Vbi enim tubarum lituorumque clangor inſonat, atque omnia late armorum ſtrepitu perturbantur, quis eſt, qui muſarum cantu delectetur, ac de eruditione magis quam de capite ac de ſalute ciuium ſolicitus eſſe poſſit? Iacet tunc omne ſtudium, vt inquit Tullius, et in pretio eſt hor-

horridus miles, non valde bonus ac disertus orator. Quae cum ita se habeant, quis mirari satis possit, Leonem X. vix Pontificio diademate coronatum statim de optimis studiis in hac Vrbe restituendis potissimum cogitasse, et nihil antiquius habuisse, quam hanc Romanam Academiam in summum splendorem atque amplitudinem excitare? Nemo vestrum ignorat, quibus ille temporibus turbulentissimis Vaticanam sedem conscenderit. Longum esset ac permolestum hoc loco singulas et miserrimas eius temporis calamitates recordari. Praetereo itaque Italiam, tunc fere omnem diuturni ac periculosi belli incendio conflagrantem. Non loquor vrbes atque oppida hostium caede, aut ciuium sanguine redundantia. Taceo vastitatem in agris, in templis solitudinem; ac florentissimas ciuitates ex assiduis Germanorum, Hispanorum Gallorumque incursionibus diutissime vexatas atque direptas. Satis sit ad memoriam vobis id vnum reuocare, Pontificium exercitum superiore anno ad Rauennam caesum fuisse atque deletum. Licet enim Iulius II. Romanus Pontifex nihil impensius quam publicae totius Italiae tranquillitati studerer, non tamen illi defuit ad suscipienda plurima

ac

ac periculosa bella militaris animi virtus et nimia quaedam gloriae cupiditas. Hinc aerarium inops atque exhaustum: hinc vectigalis pecunia ad stipendia militum aliosque belli vsus impensa atque distracta. Quanquam igitur Leo X. tam alieno reipublicae tempore Romanus Pontifex renunciaretur, illico tamen bonarum artium studiis, quae vbique foeda situ ac squalore iacebant, erigendis animum manumque praebuit: neque Pontifici aerarii calamitas atque inopia, neque bellorum per Italiam nondum sedati tumultus, neque grauissima alia, quibus initia principatus vrgeri maxime solent, negotia retardarunt. Sed accersitis Romam profundioris literaturae viris, ampliſſimum hoc Gymnasium, hoc musarum domicilium, hanc sempiternam bonarum artium sedem instaurauit; atque ita instaurauit, vt, quemadmodum eorum temporum annales loquuntur, Romanum Gymnasium neque Bononiensi, neque Patauino vel doctorum praestantia, vel auditorum concursu concederet.

Ex quibus sane faustissimis regni auspiciis quis non videt sapientissimi Principis voluntatem erga optimas disciplinas et contestatam iam praeclare satis erga literarum studia ingen-

ingentis amoris sui significationem? Instabat Lateranense concilium, quod Iulius II. iam inchoauerat, mature prosequendum perficiendumque. Vrgebant Pontificis animum Caruaialis et Sanseuerini cum Romana Ecclesia simultates inueteratae atque odium, quod illos tanquam publicos hostes ipsemet Iulius purpurae dignitate ac bonis omnibus expoliauerat. Imminebat Italiae ceruicibus cum ingenti exercitu rex Gallorum Ludouicus XII. Neapolim ac Mediolanum, vnde turpissime pulsus fuerat, repetendi desiderio ac furore inflammatus. At Leo, quanquam nihil eorum, quae ad Ecclesiae dignitatem, vel ad Italiae salutem pertinere videbantur, negligeret; vt proinde et Lateranense concilium summa animorum consensione plausuque confecerit, et foedus a Iulio II. sanctum pro Italiae libertate prouidentissime instaurauerit, et Sfortianis militibus opem suam implorantibus viginti quinque millia aureorum per Hieronymum Moronum, legatum, statim persoluerit; nihilo tamen vnquam remissius egit in optimis studiis promouendis amplissimeque exornandis. Nam praeter ea clarissima ingenii lumina, Augustinum Suessanum, Christophorum Aretinum

num, Hieronymum Buttigellam, Parrhasium Cosentinum, Basilium Calchondylem aliosque doctissimos viros, quos ad huius Academiae famam longius proferendam, magnis propositis praemiis, ad Vrbem inuitauerat; praeter duos illos summae eruditionis ac doctrinae principes, Bembum et Sadoletum, quos ab epistolis sibi esse voluit, nemo vnus fuit alicuius ingenii colore tinctus, quem ipse quasi publicus literarum parens peramanter non exciperet, et ad meliora de se sperandum non inflammaret. Audite quaeso luculentissimum Pauli Iouii testimonium ad sempiternam tanti Pontificis laudationem memoriae posterorum demandatum. Singulos, inquit, exquisitis nobilioribus artibus instructos, vel mediocris etiam nominis poetas, tanta benignitate suscipiebat, vt omnes iam excitatis animis ad excolenda literarum studia vehementer accenderentur: cum a tanto armorum strepitu, quo neglectis literis, Iulii Pontificis aures magnopere gaudebant, tandem virtuti locus patefactus esse videretur. O laudem singularem! O praedicationem, principibus viris et regibus plane inuidendam! Intelligebat equidem vir, summa sapientia praeditus, Chri-

Christianae reipublicae maxime interesse egregios et exquisito ingenio viros vbique locorum haberi, qui tam Latinorum quam Graecorum Patrum monumenta probe perciperent, et venerabilem diuinarum literarum auctoritatem qua scriptis, qua voce defenderent. Quamobrem, etsi regiae liberalitatis ac munificentiae splendore ceteros eius aetatis principes vnus longe omnes multumque superabat, vtpote qui in ea domo fuerat splendide ac liberaliter educatus, cuius ampliſſimum patrimonium beneficentia semper fuit et gloria: vbi tamen de optimis studiis augendis consilium erat, non modo ceteros, at seipsum quoque liberalitate vincere videbatur. Nullus enim erat magistratus, nulla dignitas, nullum sacerdotium tam opulentum, quod literarum cultoribus libentissime non indulgeret. Vt proinde, quemadmodum de Artaxerxe, illo Persarum rege clarissimo, cui ob manum dexteram sinistra longiorem Longimani cognomen fuit, Plutarchus refert, eum gloriari solere, sibi tanquam optimo Principi naturam tribuisse, vt alteram manum haberet ad largiendum ampliſſimam atque longissimam, alteram vero ad accipiendum breuiorem et contra-

ctam; ita quoque Leo X. merito gloriari posſet, ſe ampliorem, quam ceteri principes, animum diuinitus accepiſſe, vt erga homines literatos incredibilem ſuam beneficentiam expleret. Quam vero diligens, quam ſedula, imo quam ingenioſa fuerit eiusmodi liberalitas, quis oratione complecti valeat? Non intra Vrbis muros, vel intra anguſtos Italiae fines ſeſe continuit, ſed remotiſſimas quoque Europae regiones praeteruecta eſt ad nouas et inuſitatas exquirendas rationes, quibus tam literae quam literati omnes promouerentur. Nihil artificioſe, nihil amplificandi ſtudio dicimus, cum ſingula per ſe ſatis admiranda eſſe videantur. Quis enim non ſtupeat, a Leone X. miſſum fuiſſe ad inclytas nationes Germaniae, Daniae, Sueciae, Noruegiae et Gothiae Ioannem Heytmers de Zonuelben, Apoſtolicae Sedis nuncium, vt veteres libros, qui temporum iniuria periiſſent, diligenter accurateque perquireret? Eo vero praecipue conſilio, vt literato cuique latiſſimus excolendi ingenii campus pateret. Extat Leonis ipſius epiſtola ad Albertum, Archiepiſcopum Moguntinum, Principem Electorem et Germaniae Primatem, in qua de com-

comparandis eiusmodi voluminibus rationem cauſſamque ſatis luculenter exponit. In hac re, inquit, nec ſumptui, nec impenſae alicui parcimus ſolum vt, ſicut vsque a noſtri Pontificatus initio propoſuimus, quod Altiſſimo tantum ſit honor et gloria, viros, quouis virtutum genere inſignitos, praeſertim literatos, quantum cum Deo poſſumus, foueamus, extollamus ac iuuemus. Quid eſt, Auditores, quod ſtudioſiſſimus ingeniorum fautor ad laudem illuſtrius excogitare poſſet? Haud ſatis illi fuit, in doctis hominibus exornandis maiorum veſtigiis inſiſtere. Voluit quoque inuſitata quadam ratione de illis longe omnium optime mereri; atque ipſis cum ad ingenii famam extendendam, tum ad opes ſibi comparandas munire iter nouum et expeditum. Ob quam ſane praeclaram liberalitatem Petrus Baelius, Romanorum Pontificum cenſor iniquus et obtrectator maledicentiſſimus, ſibi tamen temperare non potuit, quin poſterorum memoriae ſcriptum relinqueret, neminem eſſe literatorum ex quocunque genere, aut religione ille ſit, qui Leonis X. nomen colere et ad caelum extollere non debeat, quod obſoleta, aut perdita veterum ſcriptorum monu-

menta ſtudioſe conquiri, ac typis elegantiſſimis euulgari curauerit. Et vero neminem veſtrum latet, Leonis munificentiae deberi Cornelii Taciti Annalium libros quinque primos deperditos iam et omnium opinione deſperatos, at reuera in obſcuro Germaniae angulo latentes, quos ipſe Leo e barbarorum manibus, vt Andreas Alciatus inquit, quingentorum aureorum ſumma redemit, ac Romae primo typis edi iuſſit: vnde immortalem ſibi laudem peperit, quod hiſtoricum praeſtantiſſimum, quaſi ab inferis excitatum, noua luce ac vita in hac Vrbe donaſſet.

Ex hac autem tanta Leonis X. erga literas beneficentia factum eſt, vt per eadem fere tempora non modo in Italia viri principes, Sabaudi, Eſtenſes, Cararienſes et Vicecomites de eruditis hominibus complectendis mutuo inter ſe ſtudio decertarent; verum etiam in Germania Maximilianus Caeſar, in Gallia rex Franciſcus I. ad honeſtiſſima ſtudia poſtliminio reuocanda, ac melioris fortunae ſpe erigenda, quaſi vno eodemque tempore excitarentur. Ille enim Viennenſem Academiam, nunc quoque florentiſſimam, erexit: hic Pariſienſem, a Carolo Magno praecla-

clariſſime fundatam, ſed iam vetuſtate collapſam, regia liberalitate reſtituit. Vterque vero literas plurimi deinde facere ac literarum ſtudioſos, Leone ipſo hortatore et duce, praemiis ampliſſimis cumulare ſibi gloriae duxit. Vt propterea, ſi verum fateri velimus, incrementa illa ſcientiarum, quae conſequutis inde vsque ad haec noſtra tempora aetatibus in Italia, in Galliis, in Germania aliisque nobiliſſimis regnis habita ſunt maxima et admiranda, vni Leoni X. accepta referri potiſſimum debeant, qui barbarorum caſtra perfregit, et ſcientiarum aſſeclis ſignum ſuſtulit libertatis et gloriae. Ipſe enim fuit, qui clariſſimis regibus documenta illuſtria dedit, quo tandem loco habenda ſint doctrinae ſtudia, quae id temporis vbique neglecta erant ac prope depoſita. Ipſe fuit, qui bibliothecam Vaticanam conquiſitis per omnem Europam et ab Oriente vsque exportatis voluminibus amplificauit, quam etiam publicae vtilitati patere voluit. Ipſe Graecorum literis et diſciplinis e patria ſede miſerrime deturbatis in hac Vrbe, omnium principe, domicilium praebuit honeſtiſſimum: cum propterea Ioannem Laſcarem,

Bizantinum, hominem in primis nobilem et eruditum cum aliis multis Graecorum doctissimis Romam ab omni Graecia summa liberalitate aduocasset. Dies me profecto deficeret, si dicendo numerare singula vellem, quae Leo X. ad rem literariam augendam atque omni dignitate honestandam vsque ad extremum spiritum constantissime gessit. At vero quicquid hactenus dixi, vt ad vnam summam referam, illud meo iudicio est omnium admiratione digniſſimum, quod homo, valetudine non satis prospera, frequentissimis suorum calamitatibus, tum etiam saepe acerbo eorundem funere exulceratus, iniquissimis amicorum coniurationibus in vitae pericula non semel adductus, ad multa et grauissima bella, tum ad tuendam Italiae libertatem, tum ad exultantem Selymi, Turcarum Imperatoris, furorem reprimendum compulsus; acerbissimis praeterea curis affectus ex perniciosis opinionibus, a Luthero in Apostolicae Sedis maiestatem ac veterem religionem in Germania late disseminatis, homo denique in ea rerum amplitudine atque imperio collocatus, vt maximis semper occupationibus eum detineri necesse esset;

esset; nunquam tamen literarum patrocinia intermiserit, nunquam vel minimum in iis ornandis industria aut voluntate defuerit perinde ac semper in summo otio ac vitae tranquillitate vixisset. O incredibilem et inauditum literarum amorem! O virum sapientissimum, omnium gentium vocibus, literis et praedicatione celebrandum! Quinam progressus scientiarum, aut quantus gloriae cumulus liberalibus artibus accessisset, si eum diutius viuere, aut tranquilliori caelo imperii clauum tenere contigisset? At vero exiguum illud viuendi spatium, a natura Leoni datum, et difficillima Christianae reipublicae, quibus ipse regnauit, tempora nonne luculentiora sunt argumenta eius summi studii erga optimas disciplinas et beneficentissimae indicia voluntatis? Vtinam Deus BENEDICTVM XIII. Pont. Max. diu nobis incolumem seruet; vt, quemadmodum sanctissimus senex regia liberalitate ceterisque virtutibus Romanorum Pontificum nemini concedit, ita quoque ad literarum studia promouenda atque ornanda animum referat, ingenitamque sibi beneficentiam erga doctos et eruditos largiori manu conuertat. Sic

enim fiet, vt triſte illud et acerbiſſimum deſiderium ſui, quod Leo X. moriens apud omnem literatorum memoriam reliquit, nunc tandem, BENEDICTO XIII. Pontifice, lenitum quodammodo eſſe laetemur.

DE

DE
CAVSSIS CORRVPTAE HOC AEVO
ELOQVENTIAE ROMANAE
PROGRAMMA
QVOD
ORATIONI
INAVGVRALI
QVA
PROFESSIONEM
ELOQVENTIAE
EXTRAORDINARIAM
LIPSIAE IV. ID. DEC. cIↃ IↃcc XXVII.
AVSPICATVS EST,

PRAEMISIT

M. IOANN. ERHARDVS KAPPIVS
COLLEG. MAI. PRINC. SOCIVS ET
ORD. PHILOSOPHORVM AS-
SESSOR.

Sächsische Landesbibliothek – Staats- und Universitätsbibliothek Dresden
http://digital.slub-dresden.de/id368268268/321
gefördert von der Deutschen Forschungsgemeinschaft DFG

Eloquentia varia habuit fata.

QVOD aliis quibusdam diſciplinis atque artibus contigiſſe, certum eſt, vt a primis initiis ſuis, rudibus omnino et impolitis, paulatim ad illud, in quo perſtiterunt, faſtigium, progreſſae fuerint, ab eo tamen, iniquitate temporum, rurſus deſciuerint, nec ſubinde licet caput erigentes, priſtinae maieſtati vnquam ſatis reſtitutae: illud etiam de Eloquentia, quae nihil aliud eſt, quam copioſe loquens ſapientia, quaeque Romana ab Vrbe, Latina a regione dicitur, omnes, quotquot fata eius cognita et perſpecta habent, affirmaturos eſſe, certus confido. Conſiderat fata huius artis, vti FLORVS hiſtoriam gentis Romanae, quaſi hominem, grauiſſimus Dialogi de cauſſis corruptae Eloquentiae Auctor, quem alii TACITO, alii QVINCTILIANO adſcribunt, (a) vti coeperit ea, vtque ado-

Fata eius vsque ad tempus, quo Dialogus de caus-

leue-

(a) I. A. FABRICIVS Bibliothec. Lat. Vol. I. p. 430. ſeqq. et Vol. II. p. 705. ſeq. CLAVDIVS CAPPERONNERIVS ad Quinctiliani Inſtit. Orat. L. VIII. c. 6. p. 532. vbi tredecim argumen-

leuerit, vt quasi ad quendam iuuen- fis corru-
tae florem peruenerit, vt postea vel- ptae Elo-
ut consenuerit, et, postquam virilem quentiae
illam et masculam Eloquentiam, Ci- concinna-
ceronis aeuo maxime floruisse, eui- tus est.
cerat, in causas solicitius inquirit,
cur, cum priora saecula tot eminen-
tium oratorum ingeniis gloriaque ef-
floruerint, sua potissimum aetas,
(quae in annum sextum principatus
Flauii Vespasiani, siue annum Chri-
sti LXXIV. incidit, (b) pristina laude
orbata, vix nomen ipsum oratoris
retinuerit. Cuius rei quatuor potis- Causae
simum causas erudite persequitur corruptae
Dialogi huius scriptor elegantissimus. eloquen-
Olim sanctiorem fuisse ac diligentio- tiae suo
rem liberorum educationem: hodie aeuo.
vanitati se dare pueros, applaudenti-
bus parentibus, nec quicquam loci
relinquere optimis illis artibus. O-
lim adolescentes omnibus fuisse dis-
ciplinis eruditos, oratoresque perfe-
ctam Philosophiae scientiam sibi com-
paras-

menta contra eos adducit, qui illum Quinctiliano adscribunt.

(b) FABRICIVS Lib. cit. Vol. I. p. 430. DODWELLI Annales Quinctilianei p. 135.

paraſſe: nunc perfunctorie tractari literas. Olim adoleſcentes in Eloquentia fori fuiſſe exercitatos, et maximos fori oratores eſſe affectatos: Nunc eos in ſcholis rhetorum, nullo rei publicae fructu, exerceri. Olim cum ciuitas libertate vteretur, maximum fuiſſe et vſum et fructum eloquentiae; hodie, imperante vno, eloquentiam ad ſilentium eſſe redactam. (c) Nimis copioſum foret, omnia, in quibus hoc argumentum latius excutitur, loca Dialogi huius huc tranſcribere, at duo tamen, eaque inſigniora, et meo inſtituto accommodata, in medium produxiſſe iuuabit. *Quis ignorat*, ait Cap. XXVIII. *et eloquentiam et ceteras artes deſciuiſſe ab illa vetere gloria, non inopia hominum, ſed deſidia iuuentutis, et negligentia parentum, et inſcientia praecipientium, et obliuione moris antiqui.* Et capite ſequenti, *Tranſeo*, inquit, *prima diſcentium elementa, in*

(c) Vid. Cl. HEVMANNI editio huius Dialogi, quem ſub nomine Quinctiliani euulgauit p. 23. FALSTERI Quaeſt. Rom. p. 311. ſeqq.

Sächsische Landesbibliothek – Staats- und Universitätsbibliothek Dresden http://digital.slub-dresden.de/id368268268/324 gefördert von der Deutschen Forschungsgemeinschaft DFG

in quibus et ipsis parum elaboratur. Nec in auctoribus cognoscendis, nec in euoluenda antiquitate, nec in notitia vel rerum vel hominum vel temporum sartis operae insumitur. Hactenus Auctor dialogi laudati, digniſſimi ſane, qui ab omnibus legatur.

Fata Eloquentiae post eius tempora. Tempore barbariei.

Quanquam vero ſanctior iſta et auguſtior eloquentia iam hoc tempore multum labis contraxerat, omnemque illam rectae et integrae dictionis ſalubritatem fere perdiderat: (d) factum tamen eſt, vt ſunt artium viciſſitudines, conſequentibus temporibus, vt illa in meram barbariem degeneraret, oratoribus non amplius diſertis, nedum eloquentibus, ſed horridis, et impolitis, et rudibus, et informibus, ita, vt, *ſi quis incumberet laboribus antiquorum, notaretur, et*

(d) Vid. CAROLI ROLLINI praefatio Quinctiliano ſuo, in compendium redacto, et Pariſiis 1715. 12. euulgato, ſed a GIBERTO, BVRMANNO et CAPPERONNERIO reprehenſo, praemiſſa, et a CAPPERONNERIO in ſua editione Quinctiliani repetita p. XLVI.

et non ſolum aſello Arcadiae tardior, ſed obtuſior plumbo omnibus eſſet inuiſus. (e) Ex quo autem immanem iſtam barbariem, quae vniuerſum Occidentem per tot ſaecula occupauerat, ſummi illi viri, Inſtauratores literarum inde nominati, circa finem Saec. XIV. et Saeculo XV. magno animo propulſare, bonasque literas a ſqualore et ſeruitute, quibus diu ſatis obſitae atque oppreſſae fuerant, liberare aggreſſi ſunt: hoc praecipue etiam negotii ſibi datum fuiſſe cenſuerunt, vt Eloquentiam Romanam, cum ipſa imperii maieſtate fere deperditam, in Italia primum reparārent, eamque indefeſſa et maſcula imitatione antiquorum Auctorum, quos beneficio artis Typographicae in lucem produxerant, priſtino nitori et dignitati, quoad eius fieri poterat, reſtituerent. In primis ea felicitas Saeculo XVI. contigit, vt, poſtquam non tantum Itali complures, ſed etiam

Fata laetiora Saec. XV.

Saec. XVI.

(e) IO. SARISBERIENSIS L. I. Metalogic. c. 3. MORHOFIVS Polyhiſt. Liter. Lib. I. c. 2. p. 16.

iam horum exemplo excitatae aliae in cultiore Europa gentes, priſca monimenta diſciplinae, diurna nocturnaque manu, verſarent, laetiſſima Eloquentiae Romanae facies vbique terrarum fere exſplenduerit, atque ad auream illam Auguſti aetatem perquam proxime acceſſerit. Nec diuturna tamen erat illa felicitas aut perpetua, ſed, quemadmodum Eloquentia, Ciceronis aetate, ad ſummum culmen perducta, mox iterum cecidit, dum *vmbratici doctores leuibus atque inanibus ſonis ludibria quaedam excitando effecerant, vt orationis corpus eneruaretur atque caderet*, (f) ſic illa, ſaeculo ſtatim altero, rurſus declinare Saec. XVII. coepit, non quidem, vt ante Magiſtrorum inopia, vt praeclare iudicat Celeberrimus IACOBVS FACCIOLATVS, (g) ſed nimia quadam

(f) PETRONIVS ARBITER initio Satyric.

(g) In Commentariolo de ortu, interitu et inſtauratione Linguae Latinae, Orationibus X. ſubiuncto p. 235. edit. Patauin.

Sächsische Landesbibliothek – Staats- und Universitätsbibliothek Dresden http://digital.slub-dresden.de/id368268268/327 gefördert von der Deutschen Forschungsgemeinschaft DFG

copia in eius interitum, ſtudiorum ſimilitudine, coniurata.

Fata Saec. XVIII.

Non iratus ſum Eloquentiae Romanae noſtrorum temporum, at quo minus tamen, illam ad auream Auguſti aetatem, aut ad faciem, quam Saeculo XVI. habuit, quam proxime accedere, perſuaderi mihi patiar, cauſſae me mouent grauiſſimae, et de corrupta, hoc aeuo, Eloquentia Romana, ab egregiis viris inſtitutae querimoniae. Nolo in praeſentia eas querelas, quas ſtrenui priſcae Eloquentiae Vindices IOANNES GVILIELMVS BERGERVS (h) et IACOBVS BVRCKHARDVS (i) dedita opera iam collegerunt, hic recinere, ſed duos tantummodo citabo Auctores recentiſſimos, iudices harum rerum grauiſſimos, Italum alterum, alterum Gallum, PAVLINVM A SANCTO IOSE-

(h) In prooemio, de repetendis Eloquentiae fontibus, Commentario de naturali pulchritudine Orationis praemiſſo.

(i) In praefatione Part. I. Commentariorum de Linguae Latinae in Germania fatis praefixa.

IOSEPHO, in Archi-Gymnasio Romanae Sapientiae Publicum Eloquentiae Professorem, et GABRIELEM FRANCISCVM LE IAY, Ignatianum Sodalem, quorum ille in Oratione de neglectu literarum humaniorum, et earum corruptela, „Quid „tamen est, *exclamat*, (k) quod in tanta scholarum frequentia, in tanta ingeniorum vi, studiorumque contentione, vix tamen vnus aut alter hodie reperiatur, qui ea Latini sermonis integritate atque elegantia „valeat, quae duobus circiter ab „hinc saeculis, post restitutas scilicet „a Summorum Pontificum, et a „Mediceae Familiae munificentia literas, tantopere in hac Vrbe, imo „per Italiam omnem effloruit? - - „Nunc vero, qui hanc laudem optimo sibi iure omnino tribuere possit, „vix aliquem esse nouimus. Et interuallo quodam. Hinc profecto, „*ait*, (l) hinc oritur affectata illa dicendi breuitas nostrorum hominum, „quae in antithetis frigidisque argu-

Confirmantur iudiciis Paulini a S. Iosepho,

(k) p. 16. (l) p. 21.

„tiolis tota eſt ; hinc languida illa „omnino et elumbis oratio , quae „plus aequo ſententioſa videri amat; „hinc comptula et fuco pigmentis- „que ad nauſeam vsque colorata elo- „quentiae facies : hinc denique ſty- „lus, in plerisque tam barbarus, in- „conditus et exoticus, vt non tam „Romanam, quam Italicam dictio- „nem foediſſime oleat. Hactenus PAVLINVS A SANCTO IOSE- PHO, cum quo paria facit laudatus a me Gallus in praefatione Biblio- thecae Rhetorum , a ſe publica- tae, (m) praemiſſa. „Neſcio enim, *in-* „*quit*, quo malo Eloquentiae fato fiat, „vt, quae iam pridem in Orationes „Gallicas irrepſit lues, eadem conta- „gione ſua Latinas Orationes affla- „uerit. Placuit hac aetate Orato- „ribus non paucis exile quoddam ac „ieiunum ſcribendi genus, cuius to- „ta laus antithetis et acuminibus „continetur , quod tam numero, „quam

et Gabrielis Franciſci le lay.

(m) Pariſiis, 1725. 4. excuſa eſt, et typis repetita Monachii 1726. 8. qua editione vtimur.

„quam maieſtate deſtitutum nihil ob-
„iiciat menti atque auribus, praeter
„vacuam et inanem verborum con-
„ſonantiam, et putidam clauſularum
„ſimiliter deſinentium affectationem.
„In hoc etiam plerumque vitium in-
„currunt, qui ſententioſum et ple-
„num acuminibus ſtylum ſectantur,
„vt in Latino ſermone Gallici idio-
„matis indolem formulasque reti-
„neant, neque tam Romana lingua,
„quam patria, loqui videantur.„ Et
in Oratione de arte dicendi, a re-
centioribus temere oppugnata:
„Quodſi reuiuiſceret hodie Tullius,
„*inquit*, (n) et Romae, quam olim
„Eloquentiae ſuae rapuit in admi-
„rationem, redderetur: an Romam
„in ipſa Roma iam agnoſceret, aut
„apud Romanos huius temporis fo-
„ret in pretio, niſi priſtinum dicendi
„morem dediſceret, et nouam ſe-
„ctatus Eloquentiae formam ſeſe ho-
„diernis Romanorum moribus ac-

 „com-

(n) Part. I. T. II. p. 414.

Sächsische Landesbibliothek – Staats- und Universitätsbibliothek Dresden http://digital.slub-dresden.de/id368268268/331 gefördert von der Deutschen Forschungsgemeinschaft DFG

„commodaret? Nam quis difertus „inter eos in primis et eloquens?

Cauſſae, cur hoc aeuo Eloquentia Romana corrupta ſit, ex Dialogo indicantur.

Conſideranti vero mihi paulo attentius cauſſas illas, cur Eloquentia Romana, hoc aeuo, quo tot aliae artes tam inſignia ceperunt incrementa, imminuta et corrupta ſit, nec ad priſtinam maieſtatem adſpiret, eae non noſtris temporibus peculiares ſunt, ſed partim ab ipſo Auctore Dialogi de cauſſis corruptae Eloquentiae iam ſuo tempore apertae fuiſſe videntur, *neglectus* ſcilicet *antiquorum auctorum*, (o) et *obliuio moris antiqui*, *deſidia iuuentutis*, *negligentia parentum et inſcientia praecipientium*. Atque has quidem cauſſas corruptae, hoc aeuo, Eloquentiae Romanae, hac ſcriptione paulo luculentius perſequendas, et ex aliorum monimentis illuſtrandas eſſe, arbitramur, ea tamen lege, vt corruptelas eiusdem, teſtimoniis doctiſſimorum virorum, ſubinde addu-

(o) Cap. XXIX. inquit: *nec in auctoribus cognoſcendis, nec in euoluenda antiquitate ſatis operae inſumitur.*

adductis, corroboremus, ne iniquius de Saeculo noſtro pronuntiaſſe videamur. Demoſthenem interrogatum fuiſſe, Auctor eſt VALERIVS MAXIMVS, (p) quidnam eſſet in dicendo efficaciſſimum, et reſpondiſſe ὑπόκρισιν. Iterum deinde et tertio interpellatum, idem dixiſſe, paene totum ſe illi debere confitendo. Quemadmodum autem ſummus Athenienſium Orator fere totam dicendi vim in actione, quam Veteres Eloquentiam corporis dixerunt, collocauit: ita ſi quis me interrogaret, quaenam praecipua corruptae, hoc aeuo, Eloquentiae Romanae eſſet cauſa, illam in neglectu antiquorum ſcriptorum, et obliuione, moris antiqui quaerendam eſſe, omni aſſeueratione affirmarem. Recte, et inſtituto meo perquam accommodate, SCIPIO GRATIDIANVS, quisquis eſt, in Pica Oratorum Nouorum, ſuperiore anno publicata. „Omni aeuo, *in-*
„*quit*, (q) nulla re magis, quam quod

I. Neglectus antiquorum ſcriptorum. Confirmatus tribus teſtimoniis Scipionis Gratidiani,

(p) Lib. VIII. c. 10. (q) p. 16.

„neglecti ſint antiqui fontes, corru-
„ptam eſſe eloquentiam, et experi-
„entia ipſa loquitur, et mecum ſapi-
„entiores omnes habeo conſentientes.
„Quum enim veteres praeſtantiſſima
„de eadem praecepta nobis tradidis-
„ſent, non defuerunt alii, qui deſer-
„tis ſanioribus et rectioribus, ſibi ipſi
„tumidum, inſulſum, ludicrum ac
„putidum dicendi fingerent genus, et
„veterum loco elegantiarum, omnia
„argutiis, ineptiis, luſibus, ac deli-
„riis implerent. Eo vsque tandem
„proceſſum eſt, vt cum viris, harum
„rerum callentibus, adfirmare non
„dubitem, nouos oratores tanto iu-
„dicandos eſſe peiores, quanto inſo-
„lentius, reiectis antiquis, noue in-
„uenta artis myſteria crepent. Et,
„paucis interiectis, apud antiquos,
„*ait*, (r) puri manant ac limpidi elo-
„quentiae fontes, quos prauum no-
„uorum magiſtrorum pecus turbat,
„atque ita contaminat, vt vix poſſint
„agnoſci. Non ouum ouo ſimilius
eſt,

(r) ibidem.

eſt, quam haec Scipionis Gratidiani et Illuſtris BERGERI verba, in prooemio de repetendis Eloquentiae fontibus obuia, quae ante oculos habuiſſe videtur, quum haec ſcriberet, Gratidianus; at eſſe tamen, et hoc aeuo, inter Germanos et Italos, qui puris eloquentiae fontibus lutulentos riuos praeponant, ſimiles camelorum, qui non aliter potu gaudeant, quam ſi prius aqua conculcando fuerit turbata, vere et grauiter quoque iudicat IOANNES CASPAR KHVNIVS, Argentoratenſis. „Rari admodum „ſunt inter Germanos, *inquit*, (s) „qui ad comparandam ſibi eloquen- Io. Caſp. „tiam non dicam neceſſarium, ſed Khunii, „vtile fore exiſtiment, ſi ex Rhetori- „bus veterum, ſiue Graecis, ſiue La- „tinis, vel vnum ſibi familiarem red- „dant. Declinant potius puriores „fontes, et ſi quis exſurgat nouae

(s) Oration. varii argumenti p. 70. quae verba Cl. BVRCKHARDVS in Programmate, quid cauſſae ſit, cur humanitatis ſtudiis maius hodieque a Batauis, quam a Germanis, ſtatuatur pretium p.13.iam adduxit. Hildburghuſae 1718.4.

Sächsische Landesbibliothek – Staats- und Universitätsbibliothek Dresden http://digital.slub-dresden.de/id368268268/335 gefördert von der Deutschen Forschungsgemeinschaft DFG

„Rhetoricae faber, ad hunc, vt ru-
„dis plebecula ad agyrtam, properant,
„hunc manibus terunt, quum tamen
„in illis libris plerisque, ſi quid bo-
„ni eſt, longe ſolidius a veteribus
„tractatum inueniamus, reliqua ad
„ſummum eo valeant, ne quis prae-
„poſtere dixiſſe videatur. Quod qui-
„dem quantillum eſt, ſi cum ſolidae
„eloquentiae praeceptis comparetur?
„Et tamen hi homines tantopere ſibi
„recentibus iſtis magiſtris placent, vt
„iam etiam in factiones ſectasque dis-
„cedant. Vti ipſe quidem legiſſe
„me memini praefationem, in qua
„Auctor publice ſibi gratulatur, ſe
„Weiſſianum eſſe; in quo tamen ſcri-
„pto ne granum quidem eloquentiae
„ſolidae comparet. Mirandum er-
„go denique non eſt, ſi ab homini-
„bus ita inſtitutis, tam peruerſa opi-
„nione imbutis, ea proficiſcantur iu-
„dicia de Scriptoribus et ſcriptis ad
„eloquentiam pertinentibus, vt cae-
„cus ſaepe melius de colore iudicare
„videatur. Quid enim frequentius,
„quam vt ab hoc hominum genere
„docta

„docta eruditorum virorum ſcripta „damnentur: quum aliorum contra „vana ſcientiae, quam non intelli- „gunt, oſtentatione turgentium in- „ſulſos labores efferant in coelum, et „ita deformem Simiae foetum pro „Melitenſi amplectantur catello. Quae „quidem res non poteſt non bilem, „aut certe riſum mouere eruditiori- „bus, et qui in hoc rerum genere „ſolide intelligunt, quid diſtent aera „lupinis. Hactenus laudatus Khu- nius, cui ex Italis ſuffragatur PAVLINVS A SANCTO IOSEPHO, et Paulini ſupra a me laudatus. „Quid vero a S. Ioſe- „defaecatum, *inquit*, (t) ac purum pho. „ex lutulentis quorundam ſcripto- „rum libris haurire poſſis, in quibus „praeter Latina aliquot vocabula, vel „obſoleta, et ab Euandri ſaeculo re- „petita, vel recens in Latium teme- „re immiſſa, nihil eſt omnino, quod „Latium ipſum redolere videatur. „Et tamen tam multi hac noſtra tem- „peſtate eo deuenerunt amentiae, vt, „opti-

(t) p. 19.

Sächsische Landesbibliothek – Staats- und Universitätsbibliothek Dresden http://digital.slub-dresden.de/id368268268/337 gefördert von der Deutschen Forschungsgemeinschaft DFG

„optimis quibusque auctoribus vale-
„re iuſſis, ſemilatinos iſtos recentio-
„res, fuco plenos, nullius ſucci ac
„ſanguinis in deliciis et amoribus ha-
„beant, libentius peruolutent, iisque
„ſolenne dicant ſacramentum. Et
„paulo poſt, *inquit*, cum ex ea le-
„ctione, aut breuitatem hauriant ſi-
„byllinis foliis obſcuriorem, aut ven-
„toſum ampullatumque dicendi ge-
„nus, quod caelum ipſum audacia
„petit; cum tumultariam ineptarum
„vocum congeriem et deſultoriam
„vbique orationem offendant; qua
„ratione fieri poteſt per Deum im-
„mortalem, vt tam peſtiferam la-
„bem minime contrahant, neque in
„tam proiecta latinae linguae corru-
„ptela periclitentur?

Non opus eſt plura de neglectu antiquorum ſcriptorum, quem omnes agnoſcunt et deplorant, hic commentari, ſed potius occaſionem ex *obliuione moris antiqui*, quam cum neglectu antiquorum ſcriptorum, tanquam cauſſa corruptae, ſuo aeuo, Eloquentiae, Auctor Dialogi, ſaepius lau-

II. Obliuio moris antiqui.

laudati, arcte coniunxit, in praesenti arripere, de antiquorum more Eloquentiam Romanam excolendi, hodie nullibi fere amplius obseruato, sed quasi postliminio reuocando, non tam ex mente huius Dialogi, sed ex aliorum monimentis, nonnulla differendi.

1. Mos antiquorum legendi et ediscendi.

Solenne olim erat antiquis Romanis, vt non *multa sed multum* legerent, (u) quid? quod memoriae exercendae et numeri oratorii causa, optimas orationes, aut earum partes, subinde ad verbum ediscerent. CICERO in Bruto C. XXXIII. *Extat eius* (P. Galbae) *peroratio, qui epilogus dicitur, qui tanto in honore, pueris nobis, erat, vt eum etiam ediscemus.* Et de Oratore L. I. c. 34. *Exercenda est etiam memoria, ediscendis ad verbum quam plurimis et nostris scriptis, et alienis.* Et QVINCTILIANVS Institut. Orat. L. X. c. 1. *Demosthenem in primis legendum vel ediscendum potius* censet. Con-

(u) PLINIVS lib. VII. epist. 9.

Hoc aeuo neglectus et depraua-tus.

Contra hoc aeuo vaga librorum quorumuis, bonorum malorumue, vbique dominatur lectio, (x) et, ſi quid in ſcholis ediſcendum proponitur, non optima quaeque ex antiquis Latinis ſcriptoribus deliguntur, ſed iis barbara aut ſemilatina, praepoſtero conſilio, ſaepius praeferuntur, quae cum libris ipſis ex literario orbe proſcribenda potius, quam memoriae imprimenda eſſent.

2. Mos antiquorum vertendi.

Solenne olim erat antiquis Romanis, vt vertendis Graecis Oratoribus aliisque Scriptoribus, qui principatum tenuerant, ſubinde ſe exercerent. CICERO de optimo genere Oratorum C. 5. *Conuerti ex Atticis duorum eloquentiſſimorum nobiliſſimas oratio-*

(x) Vid. Cel. FACCIOLATI Oratio ad humanitatem, quae inſcribitur: *Pueris ad Latinam eloquentiam informandis nocet librorum copia*, in qua p. 37 exiſtimat, non alia cauſſa primos illos attritae Latinitatis ac paene ſepultae reparatores tantopere floruiſſe, vt vno tempore ſtudium hoc et inchoaſſe videantur, et perfeciſſe, niſi quia pauciſſimos libros habebant, quibus ſe addicerent, vel nondum editis tot voluminibus, vel nondum ſatis librariorum opera, propagatis.

tiones inter se contrarias, Aeschinis Demosthenisque: nec conuerti vt interpres, sed vt orator, sententiis iisdem et earum formis, tanquam figuris, verbis ad nostram consuetudinem aptis, in quibus non verbum pro verbo necesse habui reddere, sed genus omnium verborum vimque seruaui. Neque has solum orationes, sed etiam, iuuenis admodum, transtulit *Arati* Phaenomena, et Oeconomicam *Xenophontis*, praeterea *Platonis* Timaeum, quem appellauit de Vniuersitate. (y) QVINCTILIANVS Lib. X. c. 5. *Vertere Graeca in Latinum veteres nostri Oratores optimum iudicabant. Id se L. Crassus in illis Ciceronis de Oratore libris dicit factitasse. Id Cicero sua ipse persona frequentissime praecepit: quin etiam libros Platonis atque Xenophontis edidit hoc genere translatos. Id Messallae placuit; multaeque sunt ab eo scriptae ad hunc modum orationes: adeo*

(y) Conf. etiam Cl. CAPPERONNERII editionem Quinctiliani in notis ad L. X. c. 5.

adeo vt etiam cum illa Hyperidis pro Phryne, difficillima Romanis ſubtilitate, contenderet. Et manifeſta eſt exercitationis huiusce ratio. Nam et rerum copia Graeci auctores abundant, et plurimum artis intulerunt: et hos transferentibus, verbis vti optimis licet; omnibus enim vtimur noſtris. Figuras vero, quibus maxime ornatur Oratio, multas ac varias excogitandi etiam neceſſitas quaedam eſt; quia plerumque a Graecis Romana diſſentiunt. PLINIVS L. VII. Epiſt. 7. *Vtile in primis, vt multi praecipiunt, vel ex Graeco in Latinum, vel ex Latino vertere in Geaecum; quo genere exercitationis proprietas ſplendorque verborum, copia figurarum, vis explicandi, praeterea imitatione optimorum ſimilia inueniendi facultas paratur; ſimul quae legentem fefelliſſent, transferentem fugere non poſſunt. Intelligentia ex hoc et iudicium acquiritur.* Contra hoc aeuo Graeca non frequenter ſatis leguntur, tantum abeſt, vt ex illis nonnulla aut

Hoc aeuo negligitur.

La-

Latine aut Germanice conuertere-
mus, quin etiam nec Latinos ſcripto-
res, aut eorum optima capita, cre-
bro ſatis in vernaculam noſtram con-
uertimus, quae tamen conuerſiones
multo vtiliores eſſent vulgaribus iſtis,
cum in ſcholis plerumque e vernacu-
la aliquid in Latinam linguam trans-
ferendum proponitur. Et cum eius-
modi conuerſiones ex Graecis et La-
tinis auctoribus in vernaculam no-
ſtram, multum laboris deſiderent, et
multum difficultatis habeant, ſi, vti
par eſt, non ſolum de verbis et ſen-
tentiis, ſed etiam de forma orationis et
virtutibus eius exprimendis ſoliciti es-
ſe velimus, has in primis adultioribus
et melioribus ingeniis imperandas es-
ſe arbitrarer.

Solenne olim erat antiquis Roma- 3. Mos anti-
nis, vt ſi quas orationes, aut alia inge- quorum
nii monimenta, elucubrauerant, eas, recitandi.
antequam publicarentur, vel amicis
priuatim conuocatis, vel publice
promiſcuis auditoribus recitarent, (z)

(z, SCHEFFERVS de ſtilo C. 9. OMEISIVS et BAR-

et ex illorum vultu, aliisque ſignis, quid retinendum, quidue retractandum, aliquando colligerent. PLINIVS Lib. V. epiſt. 13. *Recitaturus oratiunculam, quam publicare cogito, aduocaui aliquos, vt vererer, paucos, vt verum audirem. Nam mihi duplex ratio recitandi, vna, vt ſolicitudine incendar, altera, vt admonear, ſi quid forte me vt meum fallit.* Contra noſtro aeuo, hae recitationes, aut inter amicos lectiones, ſapientiſſimo conſilio, ab antiquis vſurpatae, (aa) penitus negliguntur, quae ſi hodieque ſupereſſent, multa aut emendatius prodirent, aut, quod optandum, plane ſupprimerentur. (bb)

Hoc aeuo negligitur.

4. Mos antiquorum declamandi.

Solenne olim erat antiquis Romanis, vt ii potiſſimum, qui erant aliquando ad rempublicam acceſſuri, in ſcholis Grammaticorum et Graece et

BARTHIVS in diſſertationibus de recitationibus veterum.

(aa) Iudice LIPSIO in praef. ad Libros de Militia Rom.

(bb) Vid. CELLARII diſſ. de ſtudiis Rom. Litter. in Vrbe et Prouinciis §. XXI. p. 364. edit. Walchianae.

et Latine declamarent, his exercitationibus ludicris ad eloquentiae gloriam, in foro, suo tempore, obtinendam, praeparandi. TVLLIVS ad Familiares L. XVI. epist. 21. *Praeterea declamitare Graece apud Cassium institui, Latine autem apud Bruttium exerceri volo.* Idem non solum Tusculanarum Quaestionum L. I. c. 4. *Vt enim antea declamitabam causſas, quod nemo me diutius fecit, sic haec mihi nunc senilis est declamatio. Ponere iubebam, de quo quis audire vellet, ad id aut sedens aut ambulans disputabam,* sed etiam in Oratione pro Coelio c. 30. de eo refert: *Voluit vetere instituto, eorum adolescentium exemplo, qui post in ciuitate summi viri et clarissimi ciues extiterunt, industriam suam a populo Romano ex aliqua illustri accusatione cognosci.* Idem Cicero, cui nullus dies ab eiusmodi exercitationibus oratoriis vacuus erat, *quotidie,* (cc) quod idem testatur, Marcus vero Antonius

(cc) De Cl. Orator. c. 90.

Sächsische Landesbibliothek – Staats- und Universitätsbibliothek Dresden http://digital.slub-dresden.de/id368268268/345 gefördert von der Deutschen Forschungsgemeinschaft DFG

et Auguſtus, teſte TRANQVILLO, (dd) ipſo Mutinenſi bello, in tanta rerum mole, declamarunt. *Declamatio* etiam, QVINCTILIANI tempore, vt ait, (ee) *vera erat iudiciorum, conſiliorumque imago*, et ad formandam eloquentiam vel ſola ſufficiebat, dum tota vis in ſermonibus, qui et ingenium alerent et eruditionem, nitebatur.

Hoc aeuo negligitur.

Contra hoc aeuo haec declamandi conſuetudo, quae ad formandam eloquentiam vel ſola ſufficiebat, e ſcholis fere eliminata eſt, quae vtinam adhuc conſiſteret, perpetuoque vigeret, ne iuuenes, tot per annos intra Grammaticos parietes verſati, cum in hominum frequentiam, in clamorem, in ſolem denique adducantur, ad faſtidium meticuloſi, elingues, Hermaeque trunco ſimiles videantur! (ff)

Mos antiquorum eloquentiam cor-

Tandem ſolenne olim erat antiquis Romanis, vt Eloquentiae corporis, ſeu hypocriſi oratoriae, (gg) multum operae

(dd) c. 8. (ee) Inſtit. L. II. c. 10.

(ff) IO. OLIVA de antiqua in ſcholis Grammaticorum diſciplina c. 10.

(gg) BERGERVS in diſp. de hypocriſi Oratoria.

Sächsische Landesbibliothek – Staats- und Universitätsbibliothek Dresden http://digital.slub-dresden.de/id368268268/346 gefördert von der Deutschen Forschungsgemeinschaft DFG

rae nauarent, qua etiam nonnullos tam admirabiles extitisse legimus, vt non lingua solum, sed etiam oculis, manibus, et toto corpore, id quod sensserant, elocuti fuisse videantur. TVLLIVS de Oratore L. III. c. 56. cum elocutionis ornamenta enarrasset, *sed haec ipsa*, ait, *omnia perinde sunt, vt aguntur, actio in dicendo vna dominatur, sine hac summus esse in numero nullo potest.* Contra nostro aeuo haec hypocrisis oratoria, in declamationibus olim tam mirifice exculta, fere de medio sublata est, ita, vt GVIDO PANCIROLLVS (hh) eam in deperditis habuerit, non contradicentibus eius censoribus, SALMVTHO (ii) et BORRICHIO. (kk) Et quanquam post Pancirollum instaurari coepta est haec ars, in primis a LVDOV. CRESOLLIO in Vacationibus Autumnalibus, et a PETRO FRANCIO (ll) discipulis

poris excolendi.

Hoc aeuo negligitur.

Fata huius artis instauratae.

(hh) De rebus deperditis p. 136.
(ii) In notis ad Pancirollum p. 137.
(kk) Dissertat. XIV.
(ll) Vid. Specimen geminum Eloquentiae Exterioris, Orationes de ratione declamandi, de Oratore Perfecto, I. pro Eloquentia.

Sächsische Landesbibliothek – Staats- und Universitätsbibliothek Dresden http://digital.slub-dresden.de/id368268268/347 gefördert von der Deutschen Forschungsgemeinschaft DFG

ſuis commendata fuerit, vt varias Ciceronis orationes cum apta quadam et decora actione recitarent: diuerſa tamen, vt fieri ſolet, fata rurſus ſubiiſſe illam, conſtat, ita vt nonnulli, et inter hos BALTHASAR GIBERTVS, (mm) Creſollium, alii Francium ipſum propterea reprehenderent, quibus tamen hic pluribus locis reſpondit, alii affectationem quandam in diſcipulis Francianis obſeruarent, de qua tamen multi nihil compertum habent; alii, iique ſapientiores artem hanc omnibus, quotquot ad perfectiorem Oratoris laudem adſpirent, commendarent, (nn) commendandam ſane, et duce ratione, et antiquorum exemplo, perpoliendam amplius, et ad antiquum culmen perducendam.

Etſi vero neglectus antiquorum ſcriptorum, et obliuio moris antiqui, magnae ſint et graues cauſſae, cur ab illa vetere Eloquentiae Romanae gloria deſciuerimus, alias tamen adhuc ape-

(mm) In Iudiciis de Scriptoribus Rhetoricis, Gallice editis T. II.

(nn) Vid. BERGERI diſp. de hypocriſi Orat. p. 48.

aperuit Dialogi noſtri Auctor grauiſſimus, dum iuuentutem ſui temporis deſidiae, parentes negligentiae et praecipientes inſcientiae accuſauit. At quam vellem, vt ſaeculum noſtrum ab hac accuſatione iure ſuo defendere mihi liceret, neque ea, quae ſuo tempore M. ANTONIVS MVRETVS, et nuperrime PAVLINVS A S. IOSEPHO de Italia grauiter conqueſti ſunt, de Germania noſtra vere dici poſſent! „Is ſtul„tos, *ait*, (oo) adoleſcentes, Lati„nae linguae vix primis elementis, „vtcunque perceptis, Graeca ne a li„mine quidem ſalutata, aut continuo „valere iuſſa, ad iurisprudentiam me„dendiue artem, praecipiti curſu fer„ri, illic diuitiarum certiſſimam pro„poni ſpem, dictitantes. Stultiores, „*adiicit*, liberis patres vltro adiuuare „praeproperam et inconſultam filio„rum cupiditatem, veritos quaſi, ne „quando penuria ſit in ciuitate homi„num, ab quibus aut lites aut morbi ſe„ran-

III. Deſidia iuuentutis.

IV. Negligentia parentum.

Deſcribitur a Mureto,

(oo) Vid. eiusd. prooemium de repetendis Eloquentiae fontibus.

„rantur, et aut aegroti remediis, aut for-
„mulis ac cautionibus patrimonia iu-
„gulentur. Hic in oratione ſaepius lau-
data. „At nos, *exclamat*, (pp) pu-
„det me, magnopere pudet, proie-
„ctam temporum noſtrorum ignaui-
„am cum indomita maiorum diligen-
et a Pauli- „tia conferre, nos, inquam, quibus,
no a S. Io- „vt Seneca dolebat vehementer,
ſepho. „tempore nihil eſt vilius, illud par-
„tim tuendae accuratius, quam par
„eſt, valetudini, partim ſomno, par-
„tim conuiuiis, partim etiam mu-
„liercularum more, calamiſtris ac ſpe-
„culo effundimus liberaliſſime. Ac
„deinde quod aulae officiis, quod vo-
„luptatibus, quod ludis, quod auari-
„tiae, aut ambitioni ſupereſt tempus,
„in literis et eruditione reponimus.
„Non eſt ergo cur miremur, maiori-
„bus noſtris tanto inferiores nos eſſe
„doctrina, qui tantopere infra ipſos
„ſumus laborandi ſtudio. Merito ab
„eorum gloria tam longe aberramus,
„quorum non imitamur induſtriam:
„quam reuera imitandam ſibi vnus-
„quis-

(pp) p. 14.

„quisque proponeret, si quod erga li-
„teras studium in nobis reliquum su-
„peressет. Sed relanguit iampri-
„dem, relanguit in plerisque homi-
„num amor erga optimas disciplinas.
„Restinctus est omnino vetus ille ad
„honestas artes ardor animorum at-
„que contentio. Inueterauit enim
„iam opinio quaedam, non modo li-
„teris humanioribus perniciosa, ve-
„rum etiam scientiarum omnium or-
„dini maxime periculosa, in hoc stu-
„diorum genere nihil gloriae, nihil di-
„uitiarum esse sperandum. Ac proin-
„de, non sine grauissimo animi dolore,
„quotidie videmus, adolescentes egre-
„gia indole, ingenioque praestantes,
„vix delibatis Grammaticae rudimen-
„tis, vix rudioribus subauditis ex Dia-
„lectica vocibus, statim caeco quodam
„impetu ad Hippocratis aphorismos,
„vel ad Iustiniani codicem properare;
„illic tantum gloriae, illic diuitiarum
„certissimam spem propositam esse di-
„ctitantes. O praeclara sciolorum con-
„silia! O praeposteram aetatis nostrae
„sapientiam! Equidem a me impetra-

re non poſſum, vt omnem iuuentutem noſtri temporis deſidiae, omnes parentes negligentiae, praeceptores omnes inſcientiae accuſandos eſſe cenſeam. Sunt omnino iuuenes haud pauci, qui ſeuera lege proficiunt, qui magno ſtudio ad magna et praeclara quaeuis contendunt, nec eloquentiam oratoriam negligendam ſibi eſſe arbitrantur; Sunt parentes, quibus nihil magis curae cordique eſt quam educatio et inſtitutio filiorum ſuorum, quorum nonnulli ſi quid peccant, peccant ſaepius non ſua, ſed aliorum culpa, qui conſilia dant parentibus, non liberis eorum, ſed ſibi vtilia: Sunt denique et praeceptores docti, diſerti, et rationis, qua ad humanitatis literas informanda eſt iuuentus, haud expertes. At enimuero, quis negabit, plures adoleſcentes ad incorruptam eloquentiae laudem peruenturos eſſe, ſi maiore induſtria in illam incumberent, nec tam velociter cruda adhuc ſtudia in publicum propellerent, ſi parentes ſui officii magis eſſent memores, nec venalium hominum conſiliis obtemperarent, ſi denique prae-

praeceptores, idoneis praesidiis instructi, veram in docenda hac arte viam ingrederentur?

V. Inscientia praecipientium.

Vt enim nunc taceam, id quod iam antea monitum est, multos praeceptores negligere antiquos fontes, et obliuisci moris antiqui, ii etiam in docenda Eloquentia Romana veram viam ingredi mihi non videntur, qui non solum suos diutius Grammaticis regulis et subtilitatibus, iisque ex Grammatica, Latine et saepius barbare conscripta, petitis, nec subinde perspicue explicatis aut illustratis, fatigare solent, ridendi et explodendi cum illis, qui v. c. linguam Arabicam, ex Grammatica, Arabice adornata, docere vellent, sed etiam non opportune satis ad castitatem et elegantiam stili Latini manuducunt, cum tamen, CICERONE teste, (qq) *stilus optimus* sit *et praestantissimus dicendi effector ac magister*, et, FABIO auctore, (rr) *neque solida, neque robusta fuerit vnquam eloquentia, nisi multo stilo vires acceperit.* C. IVLIVM

1. qui docent Lat. linguam ex Grammatica Lat.

2. qui suos ad castitatem stili non informant.

(qq) de Oratore L. I. c. 33.
(rr) Instit. Orat, L. X. c. 1.

Sächsische Landesbibliothek – Staats- und Universitätsbibliothek Dresden http://digital.slub-dresden.de/id368268268/353 gefördert von der Deutschen Forschungsgemeinschaft DFG

VM CAESAREM dixiſſe legimus, (ss) *delectum verborum originem eſſe eloquentiae*, et *inauditum atque inſolens verbum, tanquam ſcopulum fugiendum eſſe.* (tt) At multi praeceptores, ſapientiores ſcilicet ipſo Caeſare, nullum fere delectum verborum habent, inaudita et inſolentia verba non fugiunt ſatis, quin potius ipſi ſuas orationes et alia ſcripta permultis inquinant barbariſmis, nec diſcipulos ſuos ab iis grauiter et continue dehortantur.

3. Qui non optimas praeceptiones et optima exempla ſeligunt.

Neque ii ex Praeceptoribus peccare excuſatius mihi videntur, qui, in tradenda Eloquentia Romana, non optimas quasque praeceptiones Rhetoricas antiquorum, aut ad horum normam concinnatas aliquot recentiorum, eligunt, nec optimis quibusque exemplis, ex diſertiſſimo Romuli nepotum praecipue depromendis, illuſtrant, nec vtrumque negotium recte vrgent, vt vna cum praeceptionibus optima illa exempla ſuis proponant, et vtra-

(ss) apud CICERONEM in Bruto c. 72.
(tt) GELLIVS Noct. Att. L. I. c. 9.

Sächsische Landesbibliothek – Staats- und Universitätsbibliothek Dresden http://digital.slub-dresden.de/id368268268/354 gefördert von der Deutschen Forschungsgemeinschaft DFG

vtraque in ſuccum et ſanguinem eorum conuertere laborent. Praeceptiones ſeligantur breues, ſecundum HORATIVM: (uu)

Quicquid praecipies, eſto breuis! vt cito dicta
Percipiant animi dociles teneantque fideles.

His iungantur ſtatim exempla, eaque optima, his immorandum, haec infigenda latius animo, vt in tuam quodammodo naturam traducantur, quo veram Eloquentiae imaginem, a veteribus monſtratam et effictam, effingere diſcas.

Denique nonnullorum praecipientium inſcientia et imprudentia ſaepius in eo haud parum conſpicitur, quod ſapientiae ſuae, praepoſterae licet, atque a Praeceptoribus ſuis, forte ſe non intelligentioribus, hauſtae, magnopere confiſi, aliorum conſilia, quibus iuuentutem ad humanitatem informandam eſſe ſuadent, vel plane non curent, vel ſi quid forte de eiusmodi methodis inau-

4 Qui optima conſilia et methodos, quibus iuuentus ad literas elegantiores informanda eſt, negligunt.

(uu) de Arte Poet. v. 335.

inaudierint, eas, nec rite intellectas, aut perpenſas, ſtatim repudient, propterea quod nouitatis fortaſſe ſpeciem habent, aut ab exteris hominibus traditae fuerunt. Faciant modo periculum eiusmodi homines, quotquot in Scholis et Academiis noſtris tam magnifice de ſe ſentiunt, et tam peruerſe et inique iudicant, et cum cura euoluant et relegant, ea, quae non ſolum

Laudantur Tanaquilli Fabri methodus,

ſuperiore ſaeculo a TANAQVILLO FABRO, viro, ſuo tempore longe eruditiſſimo, in methodo auſpicandi literas humaniores, (quam omnibus Praeceptoribus memoria tenendam eſſe, ſagaciores exiſtimant) (xx) et nuper a IOSEPHO IOVVENCIO, (yy) e Soc. Ieſu, in ratione docendi et diſcendi, ſapientiſſime monita fuerunt, ſed etiam ea, quae recentiſſimi Duumuiri Galli CAROLVS ROL-

Ioſephi Iouuencii ratio docendi et diſcendi.

(xx) *Methode pour commencer les Humanitez Grecques et Latines.* Prodiit haec methodus Salmurii 1672. 12. et poſtea *Sallengrii* Commentariis Litterariis (*Memoires de Litterature*) Tom. II. P. II. n. 3. a p. 64-105. inſerta eſt.

(yy) editio, qua vtimur, prodiit Pariſiis 1725. 12.

ROLLINVS (zz) et BALTHASAR GIBERTVS, (aaa) Professores Parisienses emeriti, inter alia, de ratione docendi eloquentiam, erudite disputarunt, et fateantur oportet, credo, omnes, si modo verum fateri velint, se multa omnino, ex lectione horum librorum profeciſſe, et rationem tradendi linguas et eloquentiam vulgo a noſtris receptam haud parum inde emendari poſſe. Angli, qui alioquin exterorum ſcripta alto ſupercilio contemnunt, praeſtantiam harum methodorum

Caroli Rollini et Balthaſ. Giberti libri recentiſſimi.

(zz) Inſcribitur eius liber Gallice: *De la maniere d' enſeigner et d' étudier les Belles Lettres par rapport à l'eſprit et au coeur.* Pariſ. 1726. 12. Conf. in primis T. II. p. 1. ſeqq.

(aaa) Hic Gallica lingua edidit: *Obſeruations adreſſées à Mr. Rollin, ancien Recteur et Profeſſeur Royal, ſur ſon Traité de la maniere d' enſeigner et d'étudier les Belles-Lettres à* Paris 1727. 12. Vid. p. 67. ſeqq. His oppoſuit Rollinus Epiſtolam, in qua cauſſas adduxit, cur Giberto reſpondere nollet, quam Gibertus alia Epiſtola confutauit. Recenſentur in Diario Pariſ. illa menſ. Sept. p. 115. ſeqq. haec menſ. Octobr. p. 259. integrae vero inſertae ſunt Bibliothecae Gallicae (Bibliotheque Françoiſe ou Hiſtoire Litteraire de la France) T. X. Part. II. p. 234--270.

Sächsische Landesbibliothek – Staats- und Universitätsbibliothek Dresden http://digital.slub-dresden.de/id368268268/357 gefördert von der Deutschen Forschungsgemeinschaft DFG

rum iam agnouerunt, et non modo libellum Fabri, (bbb) ſed etiam Rollini methodum in ſuam linguam conuerterunt, nec dubito, quin etiam ex noſtris aliquis ſit futurus, qui in gratiam eorum, qui linguam Gallicam ignorant, horum Triumuirorum ſcripta, egregia prorſus, vel Latine vel Germanice vertat, et prudentiorum praeceptorum iudicio ſubmittat.

Peroratio et inuitatio.

Sed neque hanc recentiſſimam inter doctiſſimos Gallos agitatam controuerſiam, neque argumentum de cauſſis corruptae hoc aeuo Eloquentiae Romanae, cuius lineamenta tantum quaedam, non tam meis quam aliorum verbis, meis quippe efficacioribus, oſtendi, copioſiori ſcriptione in praeſentia latius excutere vacat, quin potius vel tandem cauſſam mihi exprimendam eſſe cenſeo, cur de corrupta, hoc aeuo, Eloquentia Romana quaedam diſputauerim, et, quam in poſterum, in docenda Eloquentia, ratio-

(bbb) Sub titulo: *A compendious way of teaching ancient and modern Languages* 1727. 8.

Sächsische Landesbibliothek – Staats- und Universitätsbibliothek Dresden http://digital.slub-dresden.de/id368268268/358 gefördert von der Deutschen Forschungsgemeinschaft DFG

rationem ſequi placeat, indicauerim. Factum enim eſt haud ita pridem, Diuini Numinis beneficio, vt *Auguſtiſſimus et Potentiſſimus Rex ac Sereniſſimus Princeps Dominus*, Dominus FRIDERICVS AVGVSTVS, *Poloniarum Rex, Magnus Dux Lithuaniae, Ruſſiae, Pruſſiae, Maſouiae, Samogitiae, Kyouiae, Volhyniae, Podoliae, Podlachiae, Liuoniae, Smolenskiae, Seueriae et Czernicouiae, etc. Dux Saxoniae, Cliuiae, Iuliae, Montium, Angriae et Weſtphaliae, S. Rom. Imperii Archi-Mareſchallus et Elector, Landgrauius Thuringiae, Marchio Miſniae et ſuperioris pariter ac inferioris Luſatiae, Burggrauius Magdeburgi, Comes Principalis Hennebergicus, Comes Marcae, Rauensbergi et Barbae, Dynaſta in Rauenſtein etc. etc. Dominus noſter et Nutricius longe Clementiſſimus*, Profeſſionem Eloquentiae extraordinariam clementiſſime mihi demandauerit. Quemadmodum vero hanc incomparabilem tanti Principis gratiam demiſſiſſimo cultu veneror, et pro perpetuo flore domus Regio-Electoralis Saxonicae ſanctiſſima vota ſemper nuncupabo: ita mecum conſtitutum habeo, munus hoc nouum, more antiquitus recepto, ſolenni oratione, auſpicari, et futuro Mer-

curii die, qui est decimus huius mensis, hora nona, in Auditorio Philosophico, *Faciem Eloquentiae Romanae hodiernam in cultiore Europa* rudi penicillo adumbrare. Ad quam Orationem, parum quidem disertam, beneuole tamen audiendam, RECTOREM ACADEMIAE MAGNIFICVM, ILLVSTRISSIMOS COMITES, VTRIVSQVE REIPVBLICAE PROCERES nec non GENEROSISSIMOS et NOBILISSIMOS HVIVS ACADEMIAE CIVES, ea, qua par est, obseruantia et humanitate inuito, antiqua formula, Δεῦτε καὶ ἀκούσατέ μου, venite et aures mihi dicenti praebete, (ccc) nec de mea pietate et studio, quo hunc insignem fauorem vestrum compensare laborabo, vnquam dubitate. P. P.

Lipsiae VII. Id. Decembr.
cIↃ IↃCC XXVII.

(ccc) ARRIANVS in Epictetum lib. III. c. 23. Vid. CRESOLLII Theatrum Rhetorum Cap. XIV. p. 118. edit. quae Tomo X. Thesauri Antiquitatum Graecarum Gronouiani habetur.

Sächsische Landesbibliothek – Staats- und Universitätsbibliothek Dresden http://digital.slub-dresden.de/id368268268/360 gefördert von der Deutschen Forschungsgemeinschaft DFG

INDEX
RERVM MEMORABILIVM.

A.

Academia Viennenſis, a quo fundata, 262. et praef.
Pariſienſis, a quo fundata et inſtaurata, ibid.
Accurſius, an barbare ſcripſerit? 129
Actionis vis, 175, 279. quid ſit. ibid. eius ſtudium apud veteres, 292. hoc aeuo neglectum, 292. a quo inſtauratum, ibid.
Albana domus, litterarum altrix, 27
Albani, (Alexandri) laus, 4. Paullini diſcipulus, 2
Albani (Annibalis) laus, 28. litterarum amor, ibid. liberalitas, 29. in Vrbinatenſe collegium, 39. in ſcholarum piarum ordinem, ibid.
Amoris vis, 213
Apollonii (Alabadenſis) in eligendis ingeniis ſtudium, 239
Archidamus, cur Periandrum obiurgauerit, 247
Areopagitarum decretum de eloquentia, 161
Ariſtarchus, quot libros ſcripſerit? 214
Ariſtippi dictum de indoctis, 100
Ariſtoteles, quot annis Platonem audiuerit? 210. eius dictum de mente humana, 236. de oratore ſententia, 162. et de eloquentia, 171. multos ſcripſit libros, 214
Arithmetica pueris a Pythagora propoſita, 250
Arrogantia inſcitiae comes, 111

Sächsische Landesbibliothek – Staats- und Universitätsbibliothek Dresden http://digital.slub-dresden.de/id368268268/361 gefördert von der Deutschen Forschungsgemeinschaft DFG

INDEX.

Artaxerxis Longimani munificentia, 259
Aſtrologia medicis vtilis, 191
Auctores qui vitandi, 3. 19 qui legendi, 23
Auctorum veterum lectionis vtilitas, 3
Auguſti domus, poetis patens, 50
Auguſtini ſententia de feſtinatione, 197

B.

Baelii (Petri) teſtimonium de Leone X. 261. notatus, ibid.
Bailettus (Adrianus) de ingeniis praecocibus ſcripſit, 212
Balduini (Franc.) laus, 128. in Inſtitutiones commentarius, ibid.
Baldus, an barbare ſcripſerit? 129 ſeq.
Bartolus, an barbare ſcripſerit? 129 ſeq.
Benedicti XIII. laus, 265
Beneficium, quod maximum? 89
Boeotii, quo ingenio, 238
Bonifacius VIII ſtudiorum formam Romae praeſcripſit, 86

C.

Caeſar, quid de delectu verborum cenſuerit, 170
Cani (Melchioris) ſententia de Theologis, 198 ſeq.
Capperonnerius (Claudius) cur dialogum de cauſſis corruptae eloquentiae Quinctiliano abiudicauerit, 268
Caruaialis ſimultates cum Romana eccleſia, 257
a Leone X. in gratiam receptus, 230 ſeq.
Cato bonus eſſe, quam videri, mauult. 27
Catonis legendi ſtudium, 215. de feſtinatione dictum, 204

Chry-

Chryſippi ſtilus qualis? 171
Cicero, cur in iudiciis regnare dictus? 155. cum Platone errare mauult, 49. eius laus. 125. eius iudicium de Iſocratis et Platonis oratione, 165. eius ſtilus qualis? 166. quomodo ſe in Cluentiana cauſſa geſſerit? 171. eius induſtria, 213. eius ſtudium vertendi, 286. eius ſtudium declamandi, 291
Clemens V. litteras Hebraicas, Arabicas, Chaldaeasque Romae inſtituit, 86
Clementiae vis, 227 ſeq.
Clementis XI. pontificis laus et eruditio, 26 ſeqq. 58. ſeq. in litteras fauor. 46. 55. 58. in ſcholarum piarum ordinem beneficentia, 60. eius liberalitate architectura ac pingendi ſculpendique facultates Romae reſtitutae, 203. eius eruditio cum virtute coniuncta, 114
Creſollius (Ludou.) actionis oratoriae inſtaurator, 293
Coſmus (Mediceus) pater patriae cur appelletur, 223
Cuiacii (Iac.) iudicium de digeſtis, 128. eiusdem laus et ſtilus elegans, 145

D.

Declamandi mos veterum, 290 ſeq. hoc aeuo neglectus, 292
Delectus verborum, quem vſum habeat, 170
Demoſthenes, eius incredibilis diligentia, 10. eiusdem natales, 35. eius dictum de actione, 175. 279
Deſidia, 6. ſeq. cur in eam nulla lex conſtituta? 96 ſeq. cauſſa eſt corruptae eloquentiae, 295
Dialogi, de cauſſis corruptae eloquentiae, quis auctor, 268. eius ſumma, ibid. ſeq.

Didymus Alexandrinus, quot volumina scripserit, 214
Digestorum laus, 127 seq.
Diligentiae vis, 236 seq.
Diogenis dictum de explorandis hominibus, 246
Discendi via, quae optima? 208. veterum modus, 285.
hoc aeuo deprauatus, 286
Docendi methodus, quae optima, 3

E.

Eloquens quis? 164 seq.
Eloquentia quid? 160. seq. 268. an in delectu verborum quaerenda? 170. eius virtus, quae praecipua? 171. varia habuit fata, 268. corruptae quae caussae, 269. quando restituta, 278. quo pacto restituta 286. not. quando declinauerit, 273. corrupta hoc aeuo, 274 seq. eius corruptae caussae, 278. an neglectui veterum auctorum tribuenda, 279. an obliuioni moris antiqui adscribenda, 284. an desidiae iuuentutis tribuenda, 295. an praecipientium inscitientiae, 299. eius docendi ratio, a quibus recentissime tradita, 303
Eloquentiae vtilitas, 5. in foro olim interdicta et iudiciis, 162. vsus eius hodie in foro, 174 seqq. Hug. Grotii de ea sententia, 169. in ea cur pauci excellant? 10. etiam olim in foro vsitata, 158 seq. eloquentia naturalis qualis? 176. sqq. magno constat labore, 188
Eruditi, an magistratui gerendo apti? 109. cur nostra aetate pauciores? 211
Eruditio, multis virtutibus coniuncta, 109
Euclidis discendi cupiditas, 210
Euripides, eius natales, 35. ab Archelao, Macedoniae rege, altus. ibid.

Excel-

Excellentes in arte aliqua facile patronos inueniunt, 48 seqq. 53.

F.

Faber (Tanaquillus), eius methodus auspicandi litteras humaniores laudata, 304
Facciolati (Iacobi) sententia, qua ratione eloquentia restituta, et cur iterum desciuerit, 286
Festinatio studiosis noxia, 185. de ea sententia Augustini, 197
Fortitudinis praemia apud Romanos summa, 41. qui ea descripserint? ibid. cur instituta? ibid.
Francisci I, regis Galliae, in eruditos amor. 262. Academiam Parisiensem instaurat, 262
Francius, (Petrus), actionis instaurator, 293

G.

Galeni dictum de stultis, 104. Astronomiae deditus, 191. multos scripsit libros, 214
Gellius A. verborum forensium interpres, 133
Gibertus, (Balthasar), Cresollio de actione contradicit, 294. eius cum Rollino controuersia de eloquentia, 303
Glossaria, qui scripserint? 172
Godofredi, (Iac.) sententia de iure ciuili Romano, 294
Graecarum litterarum vsus in Medicina, 191
Graeci eloquentia delectati, 123
Grammatices abusus, 186. ea pueri non nimium sunt fatigandi, 299
Grotii (Hug.), ingenium praecox. 202. eius de iureconsultis sententia, 169. eius laus, ibid.

H.

Heinſii (Dan.) ingenium praecox, 202
Hieronymi ſtudium legendi, 214
Hippocrates, aſtrologiae ſtudioſus, 191
Homo, quo ab animantibus ceteris diſcernatur, 99
Honores, cur mores mutent, 222
Hotomanni (Franciſci) ſtilus elegans, 145

I.

Le Jay, (Gabrielis Franciſcus), laudatus, 276
Ignaui quid? 100
Ignorantiae vitia, 111
Illiteratorum infelicitas, quae maxima? 98. ſeqq. 105
Immortalitatis ſtudium inſitum, 85. ſeq.
Indocti quid? 100
Ingenia, an hac aetate deteriora? 208. ſeq. non omnia litterarum ſtudiis apta, 237. ſeqq. eorum varietas, 240. ſeqq. metallis a Platone comparata, 241. eorum delectus habendus, 245. de praecocibus quis ſcripſerit? 212
Innocentii XIII. laus, 218. beneficentia, 219. inuitandi auditores, formula antiqua, 305
Iouii, (Paulli), de Leone X. teſtimonium, 258
Iouuencii (Ioſ.) Ratio docendi et diſcendi laudata, 302
Iſocratis dictum de ingeniis felicibus, 239. eius oratio qualis? 165
Iudicem, corrumpat quis? 163
Iulii II. pacis ſtudium, 255
Iureconſulti, eloquentia inſtructi, qui fuerint, 193. ſtili elegantia qui praediti fuerint? 131. et 172. an ipſis noxia? 147

Iuris

Iuris ciuilis amplitudo, 195. Ius ciuile et canonicum ab Innocentio IV. institutum, 86
Iurisprudentia, opum ferax, 57. cum omni litterarum genere coniuncta, 137
Iuuenum desidia, caussa corruptae eloquentiae, 295

L.

Laboris vis, 13. 248
Lascaris, (Ioannis), Bizantinus, a Leone X. Romam vocatur, 263. sq.
Latine nescire, turpe, 125
Latini sermonis cultores, 17. eiusdem studiosi iurisconsulti, 124. 131. 193. seq.
Latinitatis impurae origo, vnde? 17. seqq. an methodo docendi tribuenda? ibid. an inopiae magistrorum? 18. librorum impurorum lectioni maxime tribuenda, 19
Laurentius Mediceus, cur Italiae deliciae dictus, 223
Lectio sine delectatione qualis? 170. veterum qualis, 285
Legum vtilitas, 82. seq.
Leo X. Pontifex Archigymnasium Scholarum piarum instaurauit, 45. 66. viros eruditos arcessiuit, 73. 83 232. 257. seq. Lateranense concilium compleuit, 76. 229. Romae optimas artes instaurauit, ibid. seq. Iurisprudentiam instaurauit, 83. eius in aedificando studium, 87. multas leges sanciuit, 88, eius liberalitas, 219. 229. magnanimitas, 220. sapientia et prudentia, ibid. eius maiestas cum amore coniuncta, 221. seqq. eius familia, 222. et maiores, 223. ab Innocentio VIII. cardinalis creatur, 223. legatus totius Etruriae, ibid. exercitui a Iulio II. praefectus, 225. ab exercitu adamatus, 225. captiuus Mediolanum ductus, 227. quanto applau-

Sächsische Landesbibliothek – Staats- und Universitätsbibliothek Dresden http://digital.slub-dresden.de/id368268268/367 gefördert von der Deutschen Forschungsgemeinschaft DFG

applausu Pontifex renunciatus, 228. eius clementia, 229. 230. nuncios et epistolas ad Abyssinorum regem et Moschorum ducem misit, 230. statua ipsi marmorea decreta, 232. eius celebritas, 232. in litteratos fauor, 254. seqq. 259. seq. litteras promouendi studium, 260. ei debentur libri V. Annalium Taciti, 262. Bibliothecam Vaticanam amplificauit et aperuit, 263. Graecos professores Romam vocauit, 263

Litterae humaniores summo constant labore, 11. 40. 146. a ICtis excultae, 172. earum amplitudo, 199. sq. earum vtilitas, 6. 70. 76. sq. 148. in iurisprudentia cum primis, 169. earum amor in maioribus, 9. seqq. earum fautores, 35. 36. 107. earum profectus quid impediat, 8. quid promoueat, 207. seq. 44. an maecenatum penuriae tribuendus earum neglectus, 15. 32. seq. duabus cauſſis adscriptus, 8. qui iis excelluerint, 53

Loquendi facultas, qua ratione discatur, 19

Lucullus, litteratorum familiaritate delectatus, 27

M.

Manlius Torquatus, cur imperium recusauerit? 110

Maximilianus, Caesar, litteratos amat, 262. Academiam Viennensem erexit, 262. vid. praef. p. XXVII.

Medici praestantes, 192

Medicina, prouincia ardua, 192. quibus litteris originem debeat, 191. quibus iuuetur studiis, ib.

Mens humana, cui ab Aristotele comparata, 236

Metroclis dictum de litteris, 13

Mirandulani, (Pici), ingenium praecox, 201

Mitylenaeorum in victos poenae, 70

Morbi, an ex astris diiudicandi, 191

INDEX.

Muretі (M. Anton.) eruditio, 53. is a Gregorio XIII. ibid.
Romam arceſſitus, ibid.
Muſae, vbi habitent, 13. 37

N.

Natiuitatis ſplendor, ſuperbiae fons, 221

O.

Oratio quid? 148
Oratoris quodnam officium? 161
Origines, quot libros ſcripſerit, 214
Otium, eius damna, 97
Ouidii laus, 37. exilium, ibid.

P.

Papiniani laus, 128
Parentum negligentia, cauſſa corruptae eloquentiae, 295
Pariſienſis Academia, a quo fundata et inſtaurata, 262
Paſcalii (Blaſii) ingenium praecox, 202
Patroni, quomodo comparandi, 47. ſeqq.
Paulinus a Sancto Ioſepho laudatus, 274
Paupertas, ingeniis praeclaris noxia, 36
Periander, malus poeta, 247
Pericles fulmina vibrare dictus, 161
Philoſophiae vtilitas, 74. ſtudium quam amplum? 188. ſeq.
Phyſicae ſtudium, quam amplum, 189
Picae, humanae vocis imitatrices, 236
Pindarus, eius natales, 35. ab Hierone Syracuſano alitus, ibid.
Plato, a Dionyſio rege quomodo exceptus? 48. eiusdem laus ibid. quos audiuerit praeceptores? 210. eius dictum de ingeniis, 241. eius de oratoris ſententen-

tentia, 162. eius oratio qualis? 165. Ciceronis, 125
Plinii maioris dictum de tempore, 14. eius laus Ciceronis, 125
Plutarchi de Artaxerxe Longimano sententia, 259
Poesis, an naturae tribuenda? 200
Poetae, an nascantur, 244
Πολυγράφων exempla, 213. seq.
Praeceptorum vtilitas, 118
Praemia, vtrum alant litteras, 42. seq.
Psittaci humanam vocem reddunt, 236
Pythagoras, qua ratione ingenia explorauerit, 250

R.

Recitandi mos veterum, 289. hoc aeuo neglectus, 290
Reipublicae salus, quo nitatur? 82
Religio, prouinciae fundamentum, 82
Retractationes, qui scripserint? 203
Roberti, (Annaei), stilus qualis? 145
Rollini, (Caroli) praefatio ad Quinctilianum, 271. a Giberto, Burmanno et Capperonerio reprehensa, ibid. cum Giberto controuersia de eloquentia, 303 scripta ab vtroque edita, ib. n.
Romanorum beneficentia, 231. amor in eloquentiam forensem, 123. seq.

S.

Sannazarius (Iac.) quot annos libris de partu virginis impenderit, 200. seq.
Sanseuerini cum ecclesia Romana simultates, 257. is a Leone X. in gratiam receptus, 230. seq.
Scholarum piarum laus, 78. seq.
Senes, num difficile mutentur, 117
Socratis natales, 35. eius praeceptum de iracundia, 99 quomodo explorauerit ingenia, 148. ab Alcibiade susten-

sustentatus, 35. quomodo capitis caussam dixerit? 162. laudatus, 191
Spinulae, (Ioan. Baptistae) Cardinalis fauor in litteras, 92. seqq.
Stili elegantis in foro vsus, 122. seqq. 142. an molestus? 135. eius vtilitas in foro, 148. neglectus, 150. et ex neglectu eius orta incommoda, 151. stilus optimus dicendi effector, 299
Sulpicii Seu. purae latinitatis studium, 124. is multos scripsit libros, 214

T.

Tabulae XII. quid prosint? 195
Taciti libros quinque annalium priores quis restituerit? 262
Temperamentorum vis, 241
Temporis cura a veteribus habita, 13. seq.
Thebani, quo ingenio, 238
Themistocles, quid Miltiadis tropaea eum iuuerint, 39. 180. Eius querela de breuitate vitae, 190
Theologiae praestantia, 197. seq. magno constat labore, 199
Theophrastus multa scripsit, 214
Thraces, quo ingenio, 283
C. Trebatii libri de iurisprudentia, cur spreti? 123
Tubero (Qu. Aelius) cur a Romanis minus probatus? 124

V.

Vallae, (Laurentii) iudicium de Digestis, 127
Varro (M.) a Sulpicio de verborum significatione consultus, 124
Verborum habenda ratio, an in foro? 131. seq. quae ferenda, 144. seq. eorum delectus an prosit? 170

Ver-

Vertendi mos veterum, 286. eius vtilitas, 288. hoc aeuo neglectus, 288. seq.
Vesalii (Andreae) anatomes studium, 246
Viennensis Academia, a quo fundata, 262
Virgilius, quot annis Georgica et Aeneida scripserit, 200
Vocabula noua, quae ferenda? 144

W.

Weissiani improbantur, 282

Z.

Zeuxis, cur diu pinxerit, 201
Zonuelben (Ioh. Heytmers) antiquos codices MSS. perquisiuit, 260

Sächsische Landesbibliothek – Staats- und Universitätsbibliothek Dresden
http://digital.slub-dresden.de/id368268268/373
gefördert von der Deutschen Forschungsgemeinschaft DFG

Sächsische Landesbibliothek –
Staats- und Universitätsbibliothek Dresden
http://digital.slub-dresden.de/id368268268/374
gefördert von der
Deutschen Forschungsgemeinschaft

Datum der Entleihung bitte hier einstempeln!

Sächsische Landesbibliothek – Staats- und Universitätsbibliothek Dresden
http://digital.slub-dresden.de/id368268268/376
gefördert von der Deutschen Forschungsgemeinschaft DFG

Sächsische Landesbibliothek –
Staats- und Universitätsbibliothek Dresden
http://digital.slub-dresden.de/id368268268/377
gefördert von der
Deutschen Forschungsgemeinschaft DFG

Lit. L

Sächsische Landesbibliothek –
Staats- und Universitätsbibliothek Dresden
http://digital.slub-dresden.de/id368268268/378
gefördert von der
Deutschen Forschungsgemeinschaft DFG